



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



466

Per. 2119 e $\frac{22}{5}$






466

Per. 2119 e $\frac{22}{5}$

1919





BIBLIOTHECA
AUGUSTANA,

COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,

quos
AVGVSTA VINDELICA
ORBI LITTERATO

VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congessit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Augustanus, Bibliopola.

Alphabetum V.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXIX.

MUSEVM
BRITAN
NICVM


1831
DUPLICATE
FOR SALE



P R Æ F A T I O .

Vides, amice Lector! *Alphabetum V. Bibliothecæ meæ Augustanæ*, de quo pauca, magis pro consuetudine, quam necessitate præmonenda censeo.

Habes in illo *Vitam Xysti BETULEII* Grammatodidascali, qui, primus à *Geldenhaurio Noviomago*, nascentem Scholam *San-Annæanam Augustæ* provexit in majus. Habes *Vitam Matthæi LANGII, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Salisburgensis*, tribus Sectionibus comprehensam: in qua concinnanda ita Scriptores, qui de Viro hoc maximo ante me egerunt, sum secutus, ut, quæ illi attulerunt, in unum omnia brevibus verbis studiosè collegerim; deinde vero quamplurima, quæ illos fugerunt, e penu mea litteraria deprompta in *sectione* tum *prima*, tum maxime in *sectione secunda*, quâ *Notes* eius, & *tertia*, qua *doctrina* eius & *litteraria monumenta* exponuntur, hætenus omnino ignota ac (quod consequens est) plane nova in medium proferam. Quapropter haud miraberis, quod hæc *Vita* sola plus quam *tertiam*



tiam præsentis *Tomuli* partem sibi vindicet. Habes *Iacobi PONTANI*, *Matthæi RADERI*, & *Gregorii ROSEFFII*, qui *Augustam Vindelicam* doctrina sua, & apostolicis laboribus plurimum illustrârunt, *Vitas*, easque sic perscriptas, qualiter apud alios Scriptores, quoscunque demum, frustra quæras. Habes *Viti RIEDLINI*, Medici suo tempore percelebris; itemque *Georgii Sigismundi SELDII* tum gesta, sub duorum maximorum Imperatorum *Caroli V.* & *Ferdinandi I.* principatu, S. R. I. Pro-Cancellarii dignitate, tum eruditione amplissima inclyti *Vitam*. Habes denique paucorum aliorum *Vitas*, quorum memoriâ agere & eruditio eorundem, maxime vero oblata sponte occasio & locus suavit.

Benigno itaque vultu accipe, Lector! quod tibi offero, et solito favore studia mea profèqui perge. Scribebam *Augustæ Vindelicorum*, Calendis Ianuarii, Anni **MDCCLXXXIX.**

Auctor.



Nomi-

Nomina eorum,
Qui hoc *Alphabeto V.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majusculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu & per modum brevis *Nota* memorantur, litteris minusculis exprimi.

| | <i>Pag.</i> |
|--|-------------|
| AGRICOLA (Magnus) <i>Ord. S. Bened.</i> - | 1 |
| BETULEIUS (Xyſtus) <i>Primarius San - An -</i> <i>næanus.</i> - - - | 2 |
| <i>Betuleius</i> (Emmanuel) - - | 13 |
| <i>Betuleius</i> (Christianus) - - | 14 |
| <i>Grimm</i> (Sigismundus) <i>Medicus.</i> - | 96 |
| <i>Grimm</i> (Simon) <i>Œ. V. Doct̄or.</i> - | 97 |
| KOENIGSEGG (Ioannes Iacobus &) <i>Canonicus cathedralis Eccleſiæ.</i> - | 23 |
| LANGIUS (Matthæus) <i>S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Salisburgenſis.</i> | 25 |
| MEICHSNERUS (Ioannes) <i>ICus.</i> | 117 |
| <i>Meichſnerus</i> (Sebaſtianus) <i>ICus.</i> | 119 |
| <i>Mylius</i> (Georgius) <i>Superintendens.</i> | 200 |
| <i>Niſæus</i> (Ioannes) <i>Profeſſor in Academia Bâſileenſi.</i> - - - | 22 |
| PONTANUS (Iacobus) <i>Societatis Ieſu.</i> | 119 |
| RADERUS (Matthæus) <i>Societatis Ieſu.</i> | 149 |
| RIEDLINUS (Vitus) <i>Medicus.</i> - | 171 |
| ROSEFFIUS (Gregorius) <i>Societatis Ieſu.</i> | 182 |
| <i>Rofinus</i> (Stephanus) - - | 29. 30. |
| <i>Sallerus</i> (Ioannes) <i>Societatis Ieſu.</i> | 187 |

| | <i>Pag.</i> |
|--|-------------|
| SELDIUS (Georg. Sigismundus) <i>S. R. I.</i> <i>Procancellarius.</i> | 205 |
| <i>Stamler</i> (Ioannes) <i>Doct̄or, & Canonicus</i> <i>Ecclesiæ Brixinensis.</i> | 101 |
| SEMBLER (<i>Rupertus</i>) <i>Præpositus Liezhei-</i> <i>mensis.</i> | 226 |
| TREFLERUS (Wolfgangus) <i>Ord. S. Be-</i> <i>nedicti.</i> | 228 |
| <i>Treflerus</i> (Florianus) <i>Ord. S. Bened.</i> | 231 |
| <i>Wagnerus</i> (Bartholomæus) <i>Chori - Vi-</i> <i>carius summi templi.</i> | 198 |





AGRICOLA (*Magnus*)

Patriâ *Augustanus*, ubi ad ætatem adultiorem pervenit, ut liberius Deo soli vivere posset, Regulam *S. Benedicti*, in patrio ad *SS. Udalricum & Afram* monasterio amplexus, solenne ad aras Sacramentum dixit *IV. Idus Octobr.* anno 1659. Hic, cum monasterii sui fratribus philosophiæ præcepta explanasset, ad eadem publice tradenda in *Academiam Salisburgensem* anno 1672. missus est. Ibi anno 1673. *V. Kal. Julii* viginti quinque *Baccalaureos*: anno 1674. *Idib. Octobr.* viginti quatuor *Magistros* creavit, & *Facultatis philosophicæ Decanatum* gessit. *Salisburg* domum reversus *Theologiæ scholasticæ* docendæ munus sustinuit. Post absolutam vero theologiam, ad scientias sublimiores domi et foris tradendas applicatus, post multiplices disputationes, thesesque philosophicas elucubratas, vitæ mortalis cursum in monasterio suo anno 1688. absolvit.

Scripta, quæ à *Nostro* typis procusa extant, sunt sequentia:

I. *Sententiæ Philosophicæ IV. Libellis, sive Disputationibus comprehensæ.* 1671.

II. *Quæstiones naturales mixtæ de Principiis & Causis, ex. Libr. I. & II. Physicorum.* in 8°. 1674.

III. *Conclusiones selectæ ex universa Philosophia.* in 8°. 1674.

IV. *Tractatus de Actibus humanis.* 1679.
Bibl. August. Alph. V. A

2 BETVLEIVS vel BIRCK (*Xyftus*)

V. *Trañatus de Myfterio SS. Trinitatis.* 679.
 Hæc ex *Historia Univerſitatis Salisburgenſis*, &
 ex *KHAMMII Hierarchia Auguſt. P. III. p. 165.*
 Adde, ſi lubet, *ADELVNGS Fortſetzungen des IOE-*
CHERSCHEN Gelehrten - Lexicon.

BETVLEIVS vel BIRCK (*Xyftus*)

BETVLEIVS, vero & vernaculo nomine BIRCK,
 primam lucem anno 1501: 6. Kalend. Martii *Au-*
guſtæ (Quidquid oggerant nonnulli Autores; nam
Auguſtam Vindelicorum, in *Dedicatione* ad ſuos,
 in *CICERONEM de Officiis, Commentarios*, & in
 aliis ſuis *ſcriptis* paſſim, ipſe patriam ſibi fuiſſe
 profitetur) aſpexit, patre *Ulrico*, matre *Anna*
Brennerina genitus. Cum annum octavum atti-
 giſſet, in litterarium ludum miſſus *Conradum EP-*
PIVM, qui poſtea artem medicam *Campoduni* fac-
 titavit, præceptorem duorum annorum ſpatio ha-
 buit. His elapſis, *EPPIO Auguſtâ* migrante, quan-
 doquidem ipſe aurium vitio laborare cæperat, ad
 textorium opificium (Hoc etenim pater vitam
 ſuſtentabat) ſe applicavit. In textrina cum an-
 nos duos ſudaviſſet, atque intra iſtud tempus
 aurium uſum recuperaviſſet, denuo ad ſtudia ſeſe
 convertit. Religioſam ſubin vitam amplexus, cum
 cucullum, quem ferre non poterat, durante *Ty-*
rocini anno exuiſſet, in ſchola cathedralis
Eccleſiæ ſub *Ioanne VOEGELINO* (a) litteris iterum
 operam navavit; at eodem *Viennam* abeunte, ut
 ibi *Matheſin* (cuius inprimis peritus erat) proſi-
 tere-

(a) De *Ioanne VOEGELINO*, de quo pauca attuli in *Al-*
phabeto 17. mæ Bibliothecæ Auguſtancæ, p. 63. 167. con-
 ſuli poterit *Michael DENIS* in *Buchdruckergeſchichte von*
Wien.

teretur, *Xyflus* noster, licet (si tamen *Ioanni NYSÆO* (*) fides habenda) præceptorem, *VOEGELINI* successorem, haud eruditum nactus esset, ita tamen profecit, ut requisita eum ad statum sacerdotalem scientia minime defecerit. Itaque ne parentibus oneri esset, et ut occasionem acciperet, *Academiæ* aliquam visitandi, servitio se Canonici cuiusdam ex *Mareschallis de Pappenheim* (b) addixit, cuius interventu primis sacris Ordinibus per *Christophorum à STADION* Episcopum *Augustanum* initiatus, atque ab mæcenate suo *Erfordiam* missus, cum *Græcæ Latinæque* linguæ, simulque *Poëseos* amans esset, celebres poetas *Euricum Cordum*, *Nessenum*, et *Eobanum Hessum*, in *Theologia* vero *Iustum JONAM* audivit. Hæc inter diuturna febre correptus, cum valetudo in melius ire cæpisset, pestiferæ luis, quæ *Erfordiam* vastare inceperat, metu recentibus mæcenatum stipendiis sublevatus, *Tubingam* rediit. Illic annum unum commorans, dum hominum, *Luthero* auspice nova indies molientium, conversatione et sermonibus incautius utitur, factum est, ut non solum sacerdotii ineundi consilium abjecerit, sed et relicta fide avita ad *Novatorum* castra sese transfulerit (c).

A 2

In

(*) Scripsit is *Vitam Nostri*, quam vide *Lactantii Operibus*, 1563. *Basilæe* excusis præfixam.

(b) Hunc *Matthæum MARESCHALLUM*, cuius *Vitam* in *Alphabeto II.* memoratæ *Bibliothecæ* meæ dedi, fuisse credo; cum eo tempore, præter hunc, nullum alium *Mareschallum* inter *Canonicos summi Templi Augustani* apud *KHAMMIVM* in *Hævarch. Augusti. P. I.* inveniam. Accedit, hunc *Canonicum* diserte *Doctorem* vocari à *NYSÆO*.

(c) *Ioann. NYSÆUS* &, qui hunc exscripsit, *Phil. Jac. CROPHIVS* in *Historie des Gymnasium bey St. Anna in Augsburg. p. 113. seqq.* quorum narratione plurimum u-
tor

In *Tubingeniſi* igitur Academia anno 1523 primam Lauream accepit; et *Magiſterii* quoque dignitatem paulo poſt adeptus fuiſſet, ſi minus ad patrem, morti proximam, filialis eum amor *Auguſtam* retraxiſſet. Huius obitu afflicto, novum centum florenorum ſtipendium, quod *Ulricus* LANGENMANTEL (*d*) Canonicus ad *S. Mauriti*, *Auguſtæ*, in gratiam quatuor Studioſorum fundarat ea lege, ut ſtipendiati duobus annis *Philosophiæ*, totidemque annis *Theologiæ* ſtudeant, impetratum recreavit, et, ut *Baſileam* curſum dirigeret, permovit. Accedebat hortatio *Chouarradi* PEUTINGERI, mæcenatis litterarum et litteratorum maximi, qui ſuos quoque eò miſerat. In hoc litterarum ſtadio non quatuor, ſed integros duodecim annos commoratus, *græcam* linguam à GLAREANO, *hebraicam* à PELLICANO, *Matheſin* à WEISSENBURGO, *Philosophiam* à SICHARDO, *Theologiam* ab OECOLAMPADIO, *Juriſprudentiam* ab AMERBACHIO didicit. Cum vero *poeſin* in deliciis maxime haberet, huic potiſſimum ſtudio, duce præfato GLAREANO, operam impendit. Hæc inter conſtituto ſtipendii, cujus bonam partem matri filiali pietate ceſſerat, haud inſcius, ſe inde peius habiturum, tempore, *quadriennio* nimirum, ad finem vergente res *Noſtri* in pejus ire cæperant. Nihilominus, cum *Baſileæ* ſtudiorum cauſſa ſubſiſtere decreviſſet, ut vitam tolerare poſſet, *Pedelli* ſeu *famuli Academici* munus ſuſcepit, quò haud longo tempore deſunctus, cum *Bibliopolarum* nonnulli *librorum Correſtoribus* indige-

tor reſectis tamen iis, quæ in Religionem catholicam odioſius illi immiſcuerunt.

(*d*) V. *Pauli* à STETTEN *ſenioris Hiſtorie von Augſpurg. T. I. p. 329.*

digerent, huic officii generi se dicavit. Reversus subin ante annum 1530. *Augustam* patriæ servitia sua obtulit; verùm cum nullæ adhuc ibi scholæ publicæ essent (primùm namque anno 1531. schola *San-Annæana* condi cæpit) neque ob vocis debilitatem aptus existeret, qui ad *Concionem* diceret, dimissus est, datâ licentiâ, litterarias provincias, quo maxime vellet loco, suscipiendi. *Basileam* itaque repetiit, ibique viduam honestissimam *Glaſerinam* fæminam, cuius victu, una cum aliis excellentibus juvenibus fruebatur, in matrimonium duxit, sic (ut credebât) habiturus, quo privatis lectionibus, puerorumque institutione, quod sibi suisque ad vitam sustentandam necessum esset, acquireret; donec quid publicæ functionis offerretur. At consilium hoc eventu suo tum contagio, quæ *Basileæ* fævire cæperat, tum alius quidam casus, quo Studioſi dissipati, frustrata sunt. Hinc *Xyſto* nostro necessitas imposta, ad grave *correctoris* munus revertendi, quod etiam biennio, in Typographæo *Cratandri* primum, subin *Frobenii*, denique vero *Bebelii* gessit; donec, contracta oculorum infirmitatè, deponere illud coactus est. In hoc statu res erant, cum *Xyſtus*, qua ratione se suosque aleret, nescius anno 1530. à Senatu *Basileensi* litterario ad *S. Theodorum* ibidem ludo præficitur: in quo officio per annos quatuor ita se gessit, ut magnam sibi laudem pepererit; maxime vero *Historiis Biblicis* in scenam productis inventum sibi commissam ad virtutis amorem incenderit. Et placuisse populo hæc *Nostri* dramata tum iteratæ eorundem editiones, tum illud confirmant, quod (ut ipse narrat) nonnulla eorum in pluribus civitatibus, non sine singulari christiænæ Reipublicæ fructu, acta fuerunt.

runt (e). Eos autem, qui hoc institutum carpebant, sequentibus *Noster* redarguit: *Valere eos jurebimus, qui controvertunt, utrum hoc exercitii genus, aliquid operæ pretii ad studia juventutis adferat: quum in multam tetatem hæreant, quæ à primis imbibuntur annis. Quid autem utilius, quam teneros animos studio pietatis & amore patriæ imbui? Haberem plura, quæ in maleferiata judicium ista dicerem; si essent digna, quibus multis responderem* (f). Exacto in hac statione quadriennio cum *Nostri* fama indies magis magisque claresceret, à Magistratu *Basileensi Pædagogium* (prius Monasterium *Ordinis Prædicatorum* erat, sed tunc ob turbas Religionis derelictum et vacuum) regendum accepit, rexitque quam optime. Habui per ea tempora inter alios discipulum, qui Magistro magno postea honori evasit, *Henricum MUNSINGERUM Basileensem*, qui anno 1544. in patria *Philosophiæ Magister* proclamatus, *Medicini* studium, *Fuggerorum* sumptibus per triennium in *Gallia* excoluit, cumque in *Italiam* quoque profectus esset, *Pisis Medicinæ Doctor* renunciatus sesquiannum *Florentiæ*, post ad mecænates suo reversus octo annos *Augustæ* artem medicam exercuit, quo temporis intervallo à *Carolo V.* anno 1555. inter *Nobiles curiæ* adoptatus, anno dein de 1559. ab *Eichstetensi* Episcopo evocatus est ut eius ditionis Medicum ageret: quem PANTALE in *Prosopograph. L. III.* & ex hoc ADAMUS in *Vitis Medicor.* concelebrant. Sed ad *Nostrum* redeat oratio. —

Pæda-

(e) In *Dedicatoria* ad *Drama: SVSANNA.*

(f) *Ibidem.* De *Comædiis* à *Nostro Basileæ* exhibit videri poterit *Io. NYSÆUS l. c.*

Pædagogii memorati gubernandi dignitas cum *Rectoris* titulum *Xyfto* contuliffet, id nonnullos in errorem induxit, ut *Nostrum* inter Profeffores *U-* *niverfitatis Bafileenfis*, fed falfo, retulerint: uti obfervavit CROPHIUS in *Historia* vernacula *Gym-* *nafii San - Annæani Auguftæ*. pag. 121. in hoc dif- *ferentiens* ab Autore Libri: *Athenæ Rauracæ*, difer- *tis verbis affirmante*: *In Academiam tranfiit an-* *no 1537. Oratoriæ Profeffor nominatus*. Sed mihi CROPHIUM fequi placet, tum quod NISÆUS Scrip- *tor Vitæ Noftri* fynchronus & municeps *Noftri* de hoc altum fileat: tum quod dubitare haud *liceat, Nostrum* jam anno 1536. *Auguftam* veniffe.

Nulla absque invidia virtus! Id ipfum exper- *tus* eft *Nofter*, utpote in quem pro famæ crescen- *tis modulo et livor crevit*. Accedebat feverior *disciplinæ* custodia, quâ in educanda, fibi credi- *ta, juventute utebatur Xyftus*: unde tum publi- *cè tum privatim iniquioribus fermonibus vapula-* *re cæpit*.

Tam ifta affecerunt BETOLEII animum, ut de *mutandis fedibus cogitarit*; cuius confilii cum par- *ticipem Simonem GRYNÆUM Theologum Bafleen-* *sem feciffet*, ab illo *Tubingenfi* *Universitati* com- *mendatus* eft; fucceffitque adeo bene hæc com- *mendatio, ut Xyftus* illuc evocatus fit.

Dum ifta geruntur, *Gerardus GELDENHAURIUS* *(g) Noviomagus* cognomine, *Primariatu* *Gymna-* *fii San - Annæani, Auguftæ*, quod primus om- *nium gelferat, aliò vocatus, fe abdicarat*. Huius

A 4

ergo

(g) De viro hoc doctiffimo videri poterunt *ANDREAS* *in Biblioth. belgic. ADAMVS in Vit. Eruditor. BAYLE in* *Dictionnaire hiftoriq. SWERTIUS in Athenis belgic. Phil.* *CROPHIUS in Hiftorie des Gymnafium bey St. Anna in* *Augfpurg, p. 105.*

ergo vices ut supplerentur, BETULEIUS *Augustam* invitatus, vocationem suadente inprimis GRYŒ-
NÆO, ac dicente: *Patria petit: ergo patriam pe-*
te, gaudens accepit; quod et vitandæ invidiæ,
et visendæ patriæ, quæ nescio qua dulcedine suos
trahit, occasio inde sibi daretur. Itaque postquam
se *Magistrum Philosophiæ* anno 1536. IV. *Idus*
Februarii, & primum quidem post immutata Sacra,
publico Litteratorum applausu, solenniter creari fe-
cisset, *Augustam* venit, susceptamque *Primaria-*
tus provinciam ita est exsecutus, ut spem de se
conceptam minime fefellerit. Certe *Henricus PAN-*
TALEO l. c. testari non omisit: sibi illum in mag-
na auditorum frequentia docentem anno 1540,
auditum fuisse.

Pro more *Basileæ* à se observato, etiam *Au-*
gustæ juventutem, curæ suæ commissam, *decla-*
mationibus, *disputationibus*, *dramatibus* in scenam
productis probe exercuit. Ad hæc scholastica
exercitamenta invitatis Viris primatibus discipu-
los suos impense commendavit, eaque ratione il-
lis & mæcenates bonos, & studiorum stipendia
conciliavit (h). Diebus *festis* aut *vacationum* duos
tresve suorum discipulorum, quos eminere vide-
bat, privatim assumptos *Astronomiæ*, *Poeseos*, *Hi-*
storiæque elementis instruxit. Tam in amoribus
habuit discipulos suos, ut in exteris Academiis
pergentes comitando humanissime deduxerit. A-
dolescentum animos ad legendos *Scriptores eccle-*
siasticos suaviter traduxit; dum eis *Lactantium Fir-*
manum, probatissimæ Latinitatis laude ad *Cicero-*
nem proxime accedentem, prælegendo explanâ-
vit:

(h) In hanc rem NYSÆUS l. c. narrat: *vel uni sibi Ste-*
phanum ISELINUM (haud dubie Basileæ) mæcenatem in
septennium à Nostro impetratum fuisse.

vit: qua re concitatam erga se *Ministrorum Verbi*, Scriptorem *ethnicum* p^{ro} christiano — Quis non miretur? — juventuti praelegendum esse contententium, invidiam postea (in *Lactantio* pro singulari, quo in hunc Auctorem ferebatur studio, typis a se parato) elegantî apologiâ est amolitus. Sed, ut ab odiosis ad jucundiora convertar, & paucis multa complectar, ita BETULEIUS in docendi munere desudavit, ut, qui in Primariatu proxime secuti sunt, *Matth. SCHENCKIUS* & *Hieronymus WOLFIUS* continere se nequiverint, quin honorificentissimis eius memoriam testimoniis cohaerentarent. Certe prior horum affirmare non dubitavit: *Xyflî* è disciplina discipulos plures, tantis doctrinæ præsidiiis munitos, in exteris Academicis esse profectos, ut cum *Magisterii* lauream jam adeptis de eruditionis gloria contendere valerent. A posteriori autem adhucdum circumfertur *Scriptum* sub titulo: *Xyflî BETULEII declamandi disputandique labores*, in quibus WOLFIUS *Nostrum* amplissimas laudes dicere non intermisit (i): et si idem WOLFIUS à *Nostrum* non sine multa circumspessione ac meditatioe introductam docendi methodum postea immutandam sibi duxerit.

Sic cum BETULEIUS nascentis *Gymnasii Sauerannani* res provehere in melius allaborarit; nil ego miror, tum Viros optimates *Augustanos Nostrum* Liberos suos instituendos concedidisse quam plurimos; tum ex eiusdem, sive *Basileæ* sive *Augustæ* manentis, ludo Viros doctos magnò numero prodivisse. Hos inter, præter MUNZINGERUM superius laudatum, nominare licet *Wolfgangum*

A 5

MUS-

(i) De his omnibus videndus CROPHIUS l. c. p. 119 seq. & p. 122.

MUSCULUM (*k*), dein & *Guilielmum* XYLANDRUM; qui in *Carmine*, *Noftri* honoribus confecto (*l*) sic canit :

Tu me susceptum primus puerilibus annis
Informas pietate : decoris moribus ornas :
Prima docesque elementa rudem : tu prima futuris
Fundamenta locas studiis : tu primus , honestis
Artibus imbutum , Latium , linguæque Pelasgæ
Pulehrum idioma doces : tu primus deinde
Bellerophontæi deducis fontis ad undas :
Tu Mæcænates , qui nostra incepta fouerent ,
Concilias , tutumque iter ad sublimia monstras.

Hanc *Noftri* in docendo sollicitudinem prolixus vicissim Patronorum favor est consecutus. *Basileæ*, cum aliis tum *Reipublicæ* tum *Academiæ* primariis *Viris*, *Theodorum* et *Bernardum* BRANDOS (*): *Augustæ* HAINZELIOS, FUGGEROS, præcipue vero *Conradum* PEUTINGERUM & filium eius *germanissimum*

(*k*) MUSCULI laudes habes in *POPEBLOUNT Censura illustr. Script.* VERHEIDEN *Elogiis Theolog.* ADAMI *Vit. Theolog.* : TEISSIER *Elog. des Scav.* SLEIDANO *Comment. de Statu Relig.* BAYLE *Dictionaire*, & in Libro: *Das Augspurgische Ministerium.* in 4^{to}.

(*l*) *Carmen* hoc habetur in *Delitiis Poetarum germanorum*, in 8^o. *Francos.* 1612. T. V. p. 1180

(*) Hic referenda esse existimo, quæ ipse de se scripta reliquit in *Dedicatoria* ad *Commentarios* in *CICERONIS Paradoxa*, *Bernardo* BRANDO inscriptos: *Diu jam et multum, Bernarde ornatissime, circumspicio, num quæ mihi se offerat occasio, qua me gratum ostenderem parentis tui benevolentiam, quam non modo tum, cum in urbe vestra (Basileensi) juventutem litteras docerem... sed interea sæpe evidentissimis nec vulgaribus significationibus erga me declaravit... Minime, inquam, mihi obscurum est, quam in huius tempestatis (ob motus Religionis causa) tum in urbe *Augusta* exortos, ut ego interpretor) procellis pro incolumitate mea solliciti fueritis, si quod me in austragium eijceret, de me cogitando cogitantes &c. &c.*

finum (ut ipse ait) *Claudium Pium* mæcenates habuit, quorum erga se benevolentiam in *Nuncupatoriis* suis passim deprædicat.

Præter juventutis instituendæ negotium Senatus patrius etiam *Bibliothecæ publicæ*, ex desertorum monasteriorum bibliothecis colligendæ curam *Nostro* imposuit; quam is ita gessit, ut magnæ, quantum fieri potuit, ad illum librorum apparatus accessiones factæ sint: de quo videri poterit GASSARUS inter MENCKENII *Script. T. I. p. 1806.*

Cum Viris doctis, doctus ipse, amicitiam impense coluit. Hos inter *Bonifacium LYCOSTHENEM*, et, huius interventu sibi conciliatos, *Thomam & Ambrosium BLAUREROS*, *Ioannem OPORINUM* eruditum Typographum, atque *Gilbertum COGNATUM* ipsemet in *Sibyllinis* suis *Oraculis*, ut amicos singulares, laudat.

Sic studiis, & juventuti erudiendæ intentus, tandem ingravescente corporis infirmitate, cui nec *Achilles Pirminius GASSARUS*, nec *Adolphus Occo II.* percelebres Medici mederi poterant, à munere suo (retento tamen stipendio) dimissus quietam vitam egit; donec anno 1554. accedente ad reliquas infirmitates quodam apoplexiæ genere, fata explevit, Vir græce et latine doctissimus, teste *Conr. GESNERO* in *Bibliotheca*, & Poeta optimus. Eum *Ioannes Baptista & Paulus HAINZELII*, gratas præceptorum quondam suo vices rependentes discipuli, patrio sepulchro in *S. Annæ* æde intulerunt, addito sequenti Epitaphio (*m*).

Chri-

(*m*) Vide ADAMI *Vitæ Philosoph. & CRUSII Annal. Suev. Dodec. III. p. 693.* Adde CHROPHIUM, *l. c. p. 125.* & PRASCHII *Epitaph. August.*

CHRISTO SACRUM

*Qui locus inſigni vidit cum laude docentem
Betulium Xyſtum; nunc tegit oſſa Viri.
Ingenium, mores, doctrinam Scripta per orbem
Cognita teſtantur: Spiritus aſtra tenet.*

*Ille quidem luctum patriæ, Doctiſque, Boniſque
Liquit; at haud ſimilem liquit in urbe ſui.*

VIXIT. ANNOS. LIII. MENS. III. DXXVI.

OBIIT. XIII. CAL. JUL. AN. M. DLIV.

IOANNES, BAPTISTA, ET. PAULUS. HAINZELII

FRATRES. GERMANI

PRÆCEPTORI. B. M

F, C

Indolem *Xyſti* noſtri moresque antea laudatus
Guilielmus XYLANDER his verſibus deſcripſit :

*Non illum tumido quisquam ſe extollere faſtu,
Aut alios vidit vulgi contemnere more;
Quamquam, quo reliquis ſeſe præferret, habebat,
Humanus ſed enim, comis, neque cognitus ulli
Difficilis: neque qui magnos ſibi vellet honores,
Deſerri, placida vitam ratione regebat,
Atque domum, & thalami cum conjuge, pignora
chara.*

*Interea ſtudiis ſeſe oblectabat honeſtis,
Atque exhaustorum mulcebat fruge laborum
Otia, non pigro ſunt qualia inertia vulgo,
Plena voluptatum, ſolaque libidine ducta;
Ingenuo ſed quæ penſantur ſedula fruſtu.*

Ioannes autem *NYSÆUS* ſequentia in *Noſtri*
laudem adferre non dubitavit: *Præſtanti eruditio-
ne præditus nil antiquius habuit, quam quocun-
que loco eſſet, rite fungi ac prodeſſe. Facultates, ut
philoſophi, ut benefici, ut religioſi, mediocres exſti-
zerunt. Gratiâ vero eâ ſemper fuit, quam revera
ſandor eius merebatur. Inimicos nullos habuit, niſi
aut*

tut leviffimos, aut breviffimos. *Visus quidem est præpofteram in docendo rationem fequi, præfertim cum Lactantium fuis enarraret; fed putavit pius vir, cum eloquentia pietatem quoque effe conjungendam. . . Nec propterea Ciceronem fugit, in quem extant tot præclaræ eius Commentationes. Præter iftud nil plane vidi, quod in eo unquam reprehenderetur. Unum iftud habuit, quod nec vitii tamen est, & plurimis doctis perquam eff commune, quod cum plurimis morbis fuit confidatus. Pefilentia bis correptus fuit: febri sæpius fuit divexatus: caput rheumata et vertigines sæpe afflixerunt: et sæviffimus ei fuit calculus: fed poftremum malum fuit paralyfeos.*

Primam uxorem fuam *Nofter* anno 1538. amiffit. Ex fecunda, *Barbara Schenkin*, undecim liberos fuffulit, ex quibus octo fuperftites liquit: quibus, poft patris obitum, agente inprimis *Joanne Baptifta HAINZELIO* Confule, à Senatu patrio, quod relictæ facultates minus fufficere fuffentandis omnibus viderentur, honefte profpectum fuit. Eorum nonnullos litteris fele dedidiffe, fcripfit *CROPHIUS l. c.*: Certe *Emmanuel*, natu maximus, ftudiis fele mancipavit: de quo, tam opportuna occafione oblata, nonnulla attexere decrevi. Fuit is *Sulzbergæ* in *Brisgoia* Verbi Minifter, inque ea ftatione poftitus anno 1563. *Lactantium*, à patre typis paratum, typis ipfe vulgavit *Basileæ*, confecratum *Ioan. Baptiftæ & Paulo HAINZELIIS* verbis fequentibus: *Hæreditatis jure et volumen hoc Lactantianum et reliqua parentis poft fata relictæ monumenta nobis, qui legitimi filii fumus, obvenerunt: mihi autem primogenito et folium litteris mancipato à cæteris Betuleiani fanguinis & negotium et potestas dedicandi Lactantii facta eff. Neque difficulter adductus ego perfuafusque fum, ut, quod hujus fit ope-*

ra, libens suscipere, et hoc officium parenti simul atque suis posteris gratificaturus, efficerem &c &c.

Hæc de *Emmanuele* sufficiant. *Christiano* cui-dam BETULEIO *Augustano* *Martinus* LTPENIUS in *Biblioth. theolog.* T. III. p. 830. tribuit *Symphoniam Novi Testamenti*, sed falsissime; nam hæc lucubratio certe *Xyflii* BETULEII est (n). Quare filii missis ad patrem rediens, eius opera, haud multa quidem, attamen perdocta, enarrare paro.

I. In *M. T. CICERONIS Libros de Officiis: de Amicitia: de Senectute Commentaria longè eruditissima, nuncque primum edita.* in 4^{to}. Nota Lector; quamlibet harum lucubrationum *Ciceronianarum* proprio titulo, propriaque *Nuncupatoriâ* munitum prociivisse. Opus de *Officiis* dicavit *Noster* magnifico Senatui *Reipublicæ Augustanæ*; ubi docet (ait *Conr. GESNERUS* in *Biblioth.*) quod cuiusvis in *Republica* hominis officium sit, litterarum juvare studia. Tam gratum habuit *Senatus* hoc *Nostri* obsequium, ut ei *viginti aureolorum*, seu aureorum florenorum, munus decreverit; uti docet *Paul. à STETTEN senior* in *Historie von Augspurg.* T. I. p. 375. Opus de *Senectute*, sive *Catonem* nuncupavit *Chunrado PEUTINGERO* *Patritio Augustano*, *Jurisconsulto*. Opus de *Amicitia*, sive *Lælium* consecravit *Ioanni & Paulo HAINZELLIIS*, *Ioannis* *Viri Patritii Augustani* & *Consularis filii*, adolescentibus. Cuncta imprefsa sunt *Basileæ*. Ex officina *Ioannis Oporini*. Anno

(n) De quodam *Christiano* BETULEIO vel BETULIO *Christophorus HENDREICH* in *Pandect. Brandenb.* p. 555. monet sequentia: *Betuleius* vel *Betulius* (*Christianus*) *Augustanus Ecclesiastes* & *Pastor Hirschaugiensis*, *Lutheranus* edidit *Concionem* in exsequiis *Christophori Lindenmayeri Abbat*is *Hirschaugiensis* & *generalis Superintendentis Adelbergensis* in *Ducatu Wirtembergico*.

10 salutis MDXLIII. Mense Martio. Confer, si ubet, Io. Alb. FABRICII *Biblioth. latin. Commentarios hos omnes eruditissimos esse testatur Bibliotheca Gesnero - Simlero - Frisiana.*

Commentarij BETULEII in Ciceronem de Senectute, cum Commentariis Erasmi Roterodami & Petri BALDUINI Adnotationibus recusæ fuerunt Parisiis. 1550. in 4^{to}. V. Catalogum Biblioth. Bûnavianæ. T. I. p. 286.

Commentarii in Ciceronem de Amicitia repetitis typis, Parisiis. Apud Michaellem Vascofanum 1545. in 4^{to}. prodiverunt, teste mox citato Catalogo, T. I. p. 291.

Selectas *Nostri* Annotationes in tria memorata *Ciceronis* Opera sibi adoptavit Io. Georg. GRÆTIUS, Vir longe doctissimus, suæque editioni, cum *Notis Variorum* vulgatæ, inseruit.

II. *Sibyllinorum Oraculorum Libri VIII. multis hucusque sæculis abstrusi, nuncque primum in lucem editi &c.* in 4^{to}. Græcè. Basileæ. Ex Officina Joannis Oporini. Anno salutis MDXLV. Mense Martio. Dedicavit *Noster* Clarissimis Viris Thomæ & Ambrosio BLAURERIS; alteri, Reipublicæ: alteri, Ecclesiæ *Constantiensis* præsidibus. *Annotationes*, quibus *Noster* hanc suam lucubrationem terminavit, adoptans sibi Sebastianus CASTALIO suæ *Sibyllinorum Oraculorum* editioni, anno 1555. Basileæ vulgatæ, inferere non dubitavit. Rursus anno 1599. in 8^o. Parisiis exivisse eas tradit Christoph. ENDREICH l. c. & Mart. LIPENIUS in *Biblioth. theolog.* T. II. p. 765. De aliis editionibus consule o. Alb. FABRICIUM in *Biblioth. græca.* T. I. p. 98. ubi inter alia ait: *Primam editionem debemus Xysto BETULEIO, qui ex Codice Bibliothecæ Augustanæ*

*ſanae Vindelicor. Græcæ edidit additis ſuis Caſtigat-
tionibus &c. &c.*

III. *Symphonia, ſive Novi Teſtamenti Concordantia græcæ.* Opus magno uſui omnibus SS. Scripturarum vere ſtudioſis futurum: ſingulari nuper in-
duſtria collectum, inque lucem editum. in folio. Ba-
ſilæ. Ex Officina Io. Oporini. Anno ſalutis huma-
næ MDXXXVI. Mēſe Januario. Dicavit No-
ſter Ioanni WELSERO & Iacobo HERBROTO Con-
ſulibus Auguſtaniſ Opus hoc perarduum atque dif-
ficile, ad quod primitus tentandum ac concinnan-
dum *Wolfgangus LYCOSTENES, Ambroſius BLAU-
RERUS, Simon GRYNÆUS, Wolfgangus MUSCULUS,
Wolfgangus WEISSENBURGIUS* acres ſtimulos No-
ſtro addiderunt. Præſationi ſuccedunt tum græca
tum latina *Iacobi CRELLII, Ioannis CRATONIS,
Sebaſtiani CASTALIONIS, Andreae DIETHERI (o):
Conradi GESNERI, Rudolphi CUALTHERI Tigurini*
Carmina laudatoria. De hac Noſtri Lucubratio-
ne pluribûs agit *Auguſtinus CALMETUS* in Biblio-
theca ſacra dicens: *Concordantias græcas N. Teſ-
tamenti primus omnium aggreſſus eſt Sixtus BE-
TULEIUS. Id opus adeo neceſſarium cenſet D. CO-
LONESIUS in ſua Bibliotheca ſelecta, p. 497. ut e
Concordantiis utriuſque Teſtamenti magis, quam ex
Commentario quocunq̄ue, Lectorẽs proficere poſſe ju-
dicet. . . . Addit idem CALMETUS: Virum fuiſſe in-
ſiniti laboris, & ſtudioſi legendo ſive ſcribendo nun-
quam intermiſiſſi ferunt. Fuſius eandem quoque de-
ſcripſit *Frid. Gotth. FREYTAG* in *Apparatu litterario,*
T. I. p. 154. dicens: „*Quantæ Liber raritatis ſit,*
„*hæc verba teſtantur in Catalogo Biblioth. Palthen.*
„p. 208.*

(o) Quæ de DIETHERO, qui ſcholasticos labores cum
BETULEIO partitus eſt, dicere habui, expoſui in *Alphä-
beto* J. præſentis Bibliothecæ.

n^o. 208. *conspicua*: Omnium primæ ac proinde etiam rarissimæ sunt hæ *Concordantiæ*, quas deinde secutæ sunt *Stephanianæ*, et *Schmidianæ*. „Et quanquam allegatione veruum, utpote tunc nondum inventorum, destitutæ sint, hoc tamen præ sequentibus jam dictis peculiare habent; quod diversas unius vocis significaciones notaverit & distinxerit *Xyftus*: id quod *Stephanus* & *Schmidius* omiserunt. Confer *Iac. le LONG Biblioth. sacra*“.

Recusum Opus istud (si *Bibliothecæ Gesnero-Simlero-Frisianæ* credimus) anno 1548. per dictum *Oporinum*. Aliam editionem anni 1564. *Christoph. HENDREICH* in *Pandect. Brandenburg.* memorat.

IV. In *M. T. CICERONIS Libros III. de natura Deorum: et Paradoxa*, *Commentarii multa ac varia eruditione referti, nuncque primum in lucem editi.* in 8^o. *Basileæ.* Per *Ioannem Oporinum.* Anno salutis humanæ. MDL. Mense Septembri. Libros de natura Deorum sacros *Noster* esse voluit *Ioanni Lucaæ VELSERO* adolescenti: *Paradoxa* vero *Bernardo BRANDO*, *Theodori* apud inclytam *Basileam* *Consulis* filio, adolescenti.

Libros de natura Deorum cum *Nostri* *Commentariis* recusos fuisse *Basileæ.* 1584. testatur *LIPENIUS* in *Bibl. philosoph.* p. 379.

Selectas *Nostri* *Annotationes*, in *Ciceronis Paradoxa*, *Io. Georg. GRÆVIUS* in suam editionem transferre non erubuit.

Adde, si placet, *Io. Alb. FABRICII Bibliothecam latinam.*

V. *Ferdinandi CORTESII von den neuen Hispanien, so im Meer gegen Nidergang, zuwo ganz lustige und fruchtreiche Historien &c.* in folio. *Augst. Bibl. Augst. Alph. V.* B *spurg.*

ſpurg. 1550. Opus hoc à CORTESIO *hiſpanice* ſcriptum à Petro SAVORGNANO *Forojuliensi* *latine* redditum, in linguam *germanicam* tranſtulerunt unitis viribus BETULEIUS & Andreas DIETHERUS ſupra memoratus, dicaveruntque Ferdinando Regi Romanorum: qui illius imprimendi mandatum Philippo Ulharto typographo dedit. Prior *Historia* ſeu *Narratio* BETULEIUM, *poſterior* vero DIETHERUM verſorem habuit.

VI. *Obſervatio* in CICERONIS *Orationem* pro Q. Ligario. Breve hoc meletema exſtat in .M. T. Ciceronis *Orationibus omnibus, doctiſſimorum Virorum Enarrationibus illustratis.* in folio. *Baſileæ.* apud Oporinum. 1553. cuſis, et mox anno ſequenti (1554.) *Lugduni* recuſis, T. I. Couſer, ſi lubet, paulo ante citatum FABRICIUM, & *Bibliothecam Geſnero - Simlero - Friſianam.*

VII. L. Cæli LACTANTII *Firmiani Opera,* quæ quidem extant, omnia. *Acceſſerunt Xyſti BETULEII Auguſtiani pia ac erudita Commentaria nunc primum in lucem edita.* in folio. *Baſileæ.* Per Henricum Petri. Anno ſalutis humanæ MDLXIII. *Menſe Martio.* Edidit, ut ſupra monui, filius, Emmanuel BETULEIUS hoc parentis Opus, cuius fata ſequentibus exponit: Cum ante annos plus minus duodeviginti *Lactantium* parens publice auditoribus ſuis in *Auguſtana Schola* enarrandum ſuſcepiſſet, primum hæc in *Carmina,* poſt in *Libros Inſtitutionum* et annotare et diſcipulis diſtare cepit *Annotata.* *Iis abſolutis Lactantiana lectio* ipſi à *Scholæ magiſtratu* fuit interdiktum. *Annotationes* tamen nihilominus in cæteros de *Ira, et Opificio Dei* libros continuavit. Cui labori ac prælectioni, *Sybillinorum quoque debemus Oraculorum editionem:* ex quibus *Autor* iſte quam plurima citat *teſtimonia.*

Atque hic ſane ſcriptor adeo *Xyſto* et familiaris et dilectus ſemper fuit, ut ex ſuis filiolo cuidam *Lactantii* nomen impoſuerit. Qui cum poſt paucos, quos viderat, dies, præmatura morte præiperetur, fato quodam atque non fauſto, et huius *Lactantii* noſtri interitum præſagire ſibi videbatur. Nam finitis quidem *Commentariis*, quamprimum eos publicare conſtituerat. At vero ob difficilia, et funeſta atque peſſifera non patriæ ſolum, verum ipſi univerſæ *Germaniæ*, quæ ſubſecuta ſunt, belli tempora, ut tum non ederetur, factum eſt; ita ut huc uſque preſſa manſerint. Nam interea ipſe quoque pater optimus atque pientiffimus extremum vitæ ſuæ diem clauſit. Hinc vero nos, qui tunc pueri fuimus, et adolèſcentes, per ætatem id, quod volebamus, conſequi non potuimus. Hodie vero *Typographus* laudatiſſimus, occaſione quadam opportune arrepta, editionem hanc moliri cœpit.

Dedicationem filii excipit Præfatio patris, in qua aduerſarios, ſeu *Lactantio-maſtigas* belle confutat, ſuumque inſtitutum defendit, diſputans, utrum *LACTANTIUS* in ſcholis recte prælegatur? Præfationi ſuccedit *Vita BETULEII* à *Ioanne NYſæo* ad *Emmanuellem*, eius filium, ſcripta.

De hac editione *Nicolaus le NOURRY* ſequentia monet: *Novam Lactantii Operum editionem, longosque in eam Commentarios paraverat Xyſtus BETULEIUS &c. &c.* De eadem *Nicolaus LENGLET du Fresnoy* in ſua *LACTANTII* editione p. *XXXVIII*. ſcribit: *Non omnino probatur Eruditis; quamvis in iis multa & fortaffe plura, quam par eſt, BETULEIUS congeſſerit.* Attamen idem *Noſtri* laboribus hinc inde uſus eſt. Similiter *Annotationes Noſtri* in *LACTANTIUM* ſuæ editioni, cum aliis aliorum doctiſſimorum Virorum *Adnotationibus*, in-

feruit *Io. Ludov. BUNEMANNUS* anno 1739. *Lipsiæ* in 8°. Vide *Io. Alb. FABRICII Bibliothecam latinam*.

VIII. *Comædiæ*, à *Nostro* in theatro publice datæ, postea typis in lucem emissæ sunt:

1. *Eva*, seu *Mythologia Philippi Melanchtonis redacta in Actionem ludicram*.

2. *Iosephus*. Hunc *DIETHERO* postea commendavit. Confer *Bibliothecæ meæ Augustanæ Alphabetum I. p. 44*.

3. *Sapientia Salomonis*. Primam editionem videre mihi haud licuit. Recentioremem memorat *G. A. WILL* in *Bibliotheca Norica, P. V. p. 252*. his verbis: *Sapientia Salomonis, à Xysto Betuleio & Hermanno Kirchero dramate descripta*. in 8°. *Norimbergæ. 1597*.

4. *Beel*, quem convertit postea per discipulos. *Germanicè* versus a *Ip. Laurent. MERCKENIO* prodiit 1615. *Ulmæ*. in 8°. *V. Mart. LIPENII Bibl. philos. p. 165*. Confer *GOTTSCHED Vorrath zur Historie der deutschen dramatischen Dichtkunst, p. 174*.

5. *Zorobabel*, quem convertit postea per discipulos. *Bibliotheca Gesnero - Simlero - Frisiana, p. 828. & 829*. inquit: *Tragædia germanica: Zorobabel; ex Libro III. Esdræ. Augustæ, in 8°. 1539. excusa*.

6. *Herodes, sive Innocentes*.

7. *Iudith*. *Drama comico - tragicum. Exemplum Republicæ rectè institutæ: unde discitur, quomodo arma contra Turcam sint capienda*. in 8°. *Augustæ Vindelicorum. Philippus Ulhardus excudebat*. Dicitur *Noster Iacobo & Georgio FUGGERIS* dominis in *Kirchberg & Weissenhorn*: quorum et munificentia Drama hoc in scena actum fuit. *Recusum Darmstadii. 1615. in 12°. teste Mart. LIPENIO in Bibl.*

Bibl. philof. p. 324. & ibidem 1619. teſte Chriſtoph. HENDREICH, qui etiam antiquiorem editionem Auguſtanam anni 1585. memorat.

8. *Sufanna. Comædiatragica. in 8°. Auguſtæ Vindel. Apud Philippum Ulhardum. 1537. Inſcripſit Noſter Senatui Auguſtano. Recuſa fuit Tiguri, in 8°. Apud Froſchoverum, 1538. chartis 5½ uti teſtatur Conr. GESNERUS in Bibliotheca; item Colonia. 1538. & Wittebergæ. 1564. cum Io. Stigelii Carmine de Ordinatione Magiſtratus, uti monet Chriſt. HENDREICH l. c.*

9. *Nobilitas vera. De vera Nobilitate Orationes II. Auctore BONAGARSO Piſtorienſi in Ludi formam redactæ. 1538. Auguſtæ. Apud Philippum Ulhardum. in 8°. Dicavit Chriſtophoro WIRSUNGO. Confer Conr. Geſneri Bibliothec. v. Bonagarſus.*

Est profecto, cur mirer, Carol. Frid. FLOEGELIUM in Libro: *Gefchichte der komiſchen Literatur*, nullam de Noſtro mentionem facere. Quod FLOEGELIUS intermiſit, præſtitit Perilluſtris Paulus à STETTEN junior, in Libro: *Kunſt - Gewerband Handwerks - Gefchichte von Augſpurg, T. II. p. 314. honorificam Noſtri memoriam ob Comædias publice exhibitas agens.*

Et hæc quidem ſunt typis edita Noſtri Opera; quæ præter et ſequentia reliquit, teſte Io. NYSSÆO in *Vita Noſtri*:

Commentarios in CICERONEM de Divinatione & de Fato. Hos editos typis eſſe, adſtruit CROPHIUS l. c. p. 126. ſed fallitur.

- — in VIRGILII *Æneida.*
- — in VALERII MAXIMI *Libros omnes.*
- Δ — in HONTERI *Cosmographiam.*
- — in DESPAUTERIUM de *Schematibus.*

Annotationum Sylvas in GELLIUM & QUINTILIANUM.

Tabulas in URBANUM, quas vel meis addam (a it NYSÆUS) vel seorsim aliquando edam.

Librum variorum Carminum & Epistolarum.

Habes, amice Lector! de *Xyfto* BETULEIO nostro, de quo, si lubet, consulere quoque poteris PANTALEONEM in *Profopograph. Tom. III. v. Xyftus. Guilielm. XYLANDRUM in Præfat. Versionis ANTIGONI. CRUSIUM in Annal. Suevic. Dodec. III. NICERONIUM in Memoires, T. XXXXII.*

Iam de *Ioanne* NYSÆO, cuius in hac narratione aliquoties mentio facta est, pauca addere locus & occasio suadent. Fuit is *Augustanus*, & ob solam, quam typis edidit, *Vitam Xyfti* BETULEII nostri (nam alia eius Scripta invenire nulla potui) præfenti *Bibliothecæ* meæ *Augustanæ* merito inferendus. Huic (ut supra à me dictum) BETULEIUS *noster* studiorum mecænatem per integrum septennium *Ifelinum* quendam commendatione sua conciliavit. Huic eidem *Noster Symphoniae* suæ seu *Concordantiarum græcarum novi Testamenti* recognitionem demandavit. Docuit autem ille publicè *Basileæ*, uti testatur Liber sub titulo, *Athenæ Rauracæ*, p. 266. & 294. sequentibus verbis: *Ioannes* NISÆUS *Augustæ Vindelicorum* natus, *Tubingæ Artium liberalium Magister* proclamatus, eruditione sua *Basileensibus* innotuit, qui ei in *Pædagogio* professionem *Rhetoricæ*, scilicet *Virgilii* anno 1550. & anno 1551. in *Academia* itidem professionem *Rhetoricæ* detulerunt: quam utramque diligenter curavit adhuc anno 1556. Anno 1557. ad *Physicam* translatus legitur. Quæ postrema eius fata fuerint, repperire nobis non licuit.

KÖENIGSEGG (*Ioannes Iacobus à*)

Ioannes Iacobus, ex S. R. I. Comitibus à KÖENIGSEGG & ROTTENFELS, Dominis in *Aulendorf*, & *Stauffen* &c. anno 1589. progenitus, optimis studiis in Academia *Ingolstadiensi* operam navavit (a): cumque animum ad statum ecclesiasticum adiecisset, brevî in cathedralibus per *Germaniam* Ecclesiis ad *Canonici* dignitatem pervenit. Fuit electoralis Ecclesiæ *Coloniensis* secundus Decanus: *Metropoliticæ Salisburgensis* (b) Oblaiarius & Custos: Cathedralis Ecclesiæ *Augustanæ* Canonicus anno 1604. assumptus: earundemque trium Ecclesiarum Senior ac Jubilæus. Dicam supremum obiit *Salisburgi*, & in templo metropolitico ibidem sepultus fuit hoc addito titulo:

Ossa, Viator, hinc lege!

Cælum animo apprecare!

R R^{mus}. Illu^{str}mus. D. D. *Ioannes Iacobus Comes à Koenigsegg & Rottenfels*, Dominus in *Aulendorf*, *Stauffen* &c. electoralis, metropoliticæ, & cathedralis, Ecclesiarum *Coloniensis*, *Salisburgensis* & *Augustanæ* Canonicus, Senior, & Jubilæus, per varia assurgens officia, Sacrorum liberrimus Assertor, librorum adeo amans, ut de suis adderet, ac bono publico divulgaret gnarus, solos libros liberos esse. In artes liberales liberalis pariter: sibi parcus, ut plures, pauperie depressos, attolleret sua manu, expertus raro apud divites sapientiam hospitari. Pie obiit anno ætatis LXXIV. Christi Servatoris anno MDCLXIII. Idibus Septembris.

B 4

Fuit

(a) *Annales* memoratæ *Academiæ* eum inter *Inscriptio*nes memorant ad annum 1604.

(b) Canonicus *Salisburgensis* factus est, anno 1606. teste *Historia Salisburgensi*, a MEZGERIS edita, p. 1163.

Fuit *Ioannes Iacobus* Vir eruditissimus iuxta ac laboriosissimus: in S. Scriptura, cuius studium præ aliis adamavit, versatissimus: Mæcenas studiosorum liberalissimus. Plures ingenuarum artium cultores assidua benevolentia nutrit. Duobus è doctioribus victum & amictum largiter ministravit. His, quæ suis ipse legerat oculis, non contentus, alium constituit, qui ad mensam imo ad lectum sibi, usquedum obdormiret, bonos libros prælegeret. Hac ratione cum maximam rerum doctrinæque copiam sibi comparasset, ad scribendum aggressus, spissum admodum Volumen *Biblico studio* apprime utile, typis exscribi suo ære fecit (c) hoc titulo:

*Promptuarium sacrum biblicum, in quo univ-
sus Textus biblicus in suos titulos, distinctos ordi-
nem alphabetico, via concordantiali expositus; una cum
Appendice &c. in folio. Partes II. Salisburgi. 1661*

Opus est diuturni & solliciti laboris per subs-
civas horas, gravi impensa collectum: omnibus sacre
Scripturæ & Theologiæ Doctores, Professoribus
Concionatoribus &c. utilissimum: cuius Autorem
ipsa commendat raritas & illustre nomen, qui no-
biles annos animosque, raro exemplo, totos SS. Lit-
teris dedicavit, qui sese in SS. Patribus eodem or-
dine et distributione adlaboraturum, et ex illis si-
mile Opus concinnaturum promisit; sed morte in-
terveniente promissa explere haud potuit, non si-
ne gravi damno litteratæ Reipublicæ, quæ lucu-
brationes a nobilibus profectas ingeniis singulari
cum reverentia & aviditate plurima excipere con-
suevit.

(c) V. KHAMMII *Hierarch. August. P. I. p. 630.*

LANGIUS (*Matthæus*) S. R. E. Cardinalis,
&
Archiepiscopus Salisburgensis.

Matthæus LANGIUS, vel nomine in *latinum* verso LONGUS & LONGIUS (*a*), patritia familia *Augustana* ortus est: cuius vix dum encomium ordiens, mox id negotii imponi mihi sentio, ut generosos natales eius à macula purgem, quam eidem aspergere Scriptores nonnulli ausi sunt.

Alii obscuris eum parentibus natum fuisse, tradiderunt (*b*). Sed hos erroris facilè convincunt tum monumentum à *Nostro* in sacello *Langiæ* familiæ, *Augustæ*, positum (*c*):

IOANNI. LANG
ET. MARGARITÆ. CONIUGI
AUGUSTEN
MATTHÆUS. E. GURZEN
AUGUSTEN. ET. CONSTANTIENS
PRÆPOSITUS
PARENTIB. DULCISS
ET. TOTI. FAMILIÆ. POSUIT
MDXIII.

tum *Annales patrii* (*d*); in quibus & *Langiorum*, & *Sulzerorum* (Ex hac scilicet familia mater

B 5

ter

(*a*) CIACONIUS in *Vitis Pontif. T. III. p. 299*. Cavefis autem, Lector! *Nostrium* cum alio *Matthæo*, Cardinale & Episcopo *Sedunensi* synchrono, cognomento SCHINER permisceas; uti Scriptores quidam malè fecerunt.

(*b*) Vide *Marci HANSIZII Metropol. Salisburgens. p. 564*.

(*c*) *Daniel PRACHIUS in Epitaph. August. P. I. p. 14*.

(*d*) Vide *Paul. à STETTEN senior. Geschichte der Römisch. Reichs - Stadt Augspurg. His adde testimonium*

Clemen-

ter *Matthæi* nostri originem duxerat) Gentem à multis retro annis *Augustæ* claruisse perdiscimus.

Alii dein Scriptores usque eò prolapsi sunt, ut *Matthæum* nostrum, filium naturalem *Maximiliani I.* Cæsaris, fabulosissime fecerint. Commento huic ansam dedit *Ioannes PINICIANUS* (e) in *Epicedio* a se scripto *Maximilianum* fatiis supremis functum, atque *Matthæum LANGIUM* vivum, inter se colloquentes, & LANGIUM inter alia dicentem inducens: *O Cæsar, felix Genitor!* et rursus: *Dive Pater!* Quamobrem bene Lectores admonuit *Marcus HANSZIVS* (f): „Hi versus, ne nescias, ipsi sunt, quos posterorum nonnulli se, quius interpretati mysterium se deprehendisse putarunt, quod æqualium Scriptorum omnium cognitionem omnem effugerit. Audi fabulam fabulosissimam! *Matthæum LANGIUM* crediderunt, fuisse filium *Maximiliani* Cæsaris naturalem. Id *Geographus Tubingensis* in *Tabulas* suas intulit. Id accuratus ceteroqui *Matthæus RADERUS Bavar. sanct. Vol. II. p. 247.* scriptum reliquit his verbis: *Matthæus LANGIUS Welleburgius Cardinalis, ex LANGA Patritia Augustana & Maximiliano I. Impe-*

Clementis JÆGERI, cuius merita *Bibliothecæ præsentis Augustanæ Alphabeto III. p. 89,* exposui, in Opere anecdoto: *Von Ankunft des . . adelichen Geschlechts der Herren Rehlinger* dicentis: *Dieses Geschlecht (Herwart) und die LANGEN. . . hab ich mit ganzen Worten, als Canonici anno 1251. auf dem hohen Domstift, befunden.* Præterea innumeri *Scriptores synchroni & GASSARUS in Annual. Augsburg. STENGELIUS in Commentario Rer. Augst. CRUSIUS in Annal. Suevic. Patritium Augustanum* vocant *Matthæum* nostrum

(e) Viri huius laudes descripti in *Bibliothecæ meæ Augustanæ Alphabeto I. p. 139.*

(f) In *Metropoli Salisburgensi*, p.584.

„*Imperatore natus*; istud ex memoratis *Piniciani*
 „verbis probare contendens. Ad auctoritatem RA-
 „DERI se refert IMHOFIUS in *Notit. Procerum*,
 „L. I. c. 4. in *Subnotatis*. Nihil attinet, in his
 „refellendis operam terere. Nemini veterum id
 „venit in mentem vel suspicari. In tanto Scripto-
 „rum numero, qui de LANGIO scripserunt, in tan-
 „ta Viri claritudine, quis existimet, aut omnes
 „fuisse rei tam notabilis ignaros, aut adeo vere-
 „cundos, ut id omnes silentio premerent? Ag-
 „novit inanitatem commenti RADERUS ipse, qui,
 „quod in *Volumine II.* scripserat, in *Volumine III.*
 „p. 204. diligenter recantavit, professus, se ver-
 „bis PINICIANI perperam intellectis, virorum
 „quorundam doctorum exemplo, deceptum esse..
 „Non enim nominavit *Matthæus Maximilianum*
 „patrem naturalem, sed moralem; scilicet ob be-
 „neficia in se collata. Idem RADERUS *ibidem* p. 205.
 „(in serie genealogica *Grafschivenkiorum* (g), *Lan-*
 „*giorum*, *Ilfungiorum*) *Matthæum Ioannis Langi*,
 „& *Margaritæ Sulzerinæ* filium inter octo virilis
 „stirpis & quinque muliebris ponit loco quarto.
 „Aliud argumentum sumit e litteris hæreditatis
 „erciscundæ, ubi *Matthæus* vocatur loco primo,
 „utique non admittendus, nisi legitimus. Accedit
 „Epitaphium supra recitatum, quod *Matthæus* in
 „facello LANGIORUM *Augustæ* parentibus posuit.
 „Sed quid multis? *Maximilianus* Cæsar natus an-
 „no 1459. non nisi decennio ætatis anteibat LAN-
 „GIUM, quippe editum circiter annum 1469“. Hucusque HANSIZIUS, cui, ætate prior *Corb.*
 KHAMMIUS (h) per omnia consentit.

Na-

(g) KHAMMIUS in *Hierarch. August. P. II. p. 278.*
 ponit: *Schrenckiorum.*

(h) Loco mox citato.

Natalibus *Matthæi* LANGII nostri debito honori, & splendori avito restitutis, ad Vitam eius describendam propius accedere oportet: quod ut ordine à me fiat, pro more in Viris magni nominis proponendis hætenus adhiberi solito, *tribus Sectionibus* id agam, ut *prima, Vitam: secunda, Dotes animi: tertia, Doctrinam & Scripta Nostri* succincta brevitate complectatur.

Sectio I.

Vita Nostri.

Notius est, totòque orbe *Europæo* vulgatus nomen *Matthæi* LANGII, Viri præstantissimis animi ingeniique dotibus: maximis negotiis & dignitatibus gestis: doctrina denique & benevolentia in litteras litteratosque singulari inclytissimi, quam ut Lectorum meorum cuius facile haud pateat, infinitum me fore debere, si omnia singulæque *Nostri* merita, ab innumeris memorata Scriptoribus, dicendo exponere vellem. Ob eam rationem ita de LANGIO tractare mecum decrevi, ut præstantiora duntaxat eius facta ex annorum serie, idque semper habita amatæ brevitatis debita ratione, expromam.

Prodivit *Noster* in hanc lucem anno (ut audivimus) circiter MCCCCLXIX. patre *Ioanne* LANGO, matre *Margarita* SULZERIA (prout itidem supra dictum est) procreatus. „Fratres *Nostro* fuerunt *Ioannes* & *Leonardus*, quorum iste anno „1515. *Posonii*, *Pannonum* urbe, a regibus *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Bohemiæ*que creatus est Eques. „*Leonardus* sub Cæsare stipendia meruit belli, anno 1509. in obsidione *Patavii* pilâ trajectus. Soror *Apollonia* primum *Julio Lodronio* Comiti, „deinde anno 1500. *Christophoro Frangipanio* Comiti,

miti, qui multa strenua facinora contra *Ven-*
tos in *Forojulio* fecit, matrimonio juncta fuit.
 „Altera soror viro cuidam ditissimo in oppido *Stein*
 „prope *Cremsum Austriae* urbem nupsit, ubi Car-
 „dinalem fratrem anno 1515. ad *Conventum Pan-*
 „„*nonicum* descendentem hospitio accepit (i)“. His
 addi merentur *Lucas* Eques: *Regina*, quæ *Udal-*
rico ab Haselbach: & *Othilia*, quæ *Ioanni Schad*
 Equiti in connubium datæ (k). Sic nominis ce-
 lebritas, quam cito *Matthæus* noster adeptus est,
 maxima effecit, ut fratres eius sororesque ad hono-
 rum fastigia, amplissimæque matrimonia feliciter pro-
 veherentur. Quare non tam ipse avitæ profapiæ suæ,
 quam ipsi profapia multum decoris debuisse cen-
 senda est, quæ demum (ut fluxa sunt mortalium
 omnia) in *Marco LANGIO* anno 1579. defecit. Sed
 ad *Nostrum* redeat oratio.

Is, postquam ætate crevisset, annò MCCCCL-
 XXXV. studiorum causa in *Academiam Ingolsta-*
dientsem se contulit, in cuius albo ad annum memo-
 ratum primò locò nominatur (l). Anno sequenti
 longius movens, *Universitatem Viennensem* (*) adi-
 vit,

(i) HANSIZIUS in *Metropoli Salisburg. p. 564.* CRU-
 SIUS in *Annal. Suevicis Dod. III. p. 510.* Nota, *Regin-*
baldum MOEHNERUM, Cænobitam *San- Udalricanum Au-*
gustæ, in Libro MSSo. quo *Augustanas* familias recen-
 set, *Comitis Frangipani* uxorem *Catharinam LANGIAM*
 (multo verius, meò quidem iudiciò) ponere.

(k) MOEHNERUS l. c. STETTEN *Historie der Augspurgi-*
fchen Geschlechter.

(l) V. *Annales Academiae Ingolstæd. T. I. p. 26.*

(*) Injecta *Universitatis Viennensis* mentio ansam mihi
 optatam præbet, alium civem *Augustanum*, qui haud
 diu post *Matthæum* in memorato optimarum artium em-
 porio, una cum aliis, non exigua nominis celebritate
 floruit, debita laude mactandi. Est is *Stephanus ROSI-*

vit, ubi eum una cum aliis pluribus, magnum
postea nomen adeptis Viris, *litteris ac moribus*
exor-

NUS (vernacule *Röfel, Röslein, Röslen.*) *Artium et Philosophiæ Magister, sacre Pagine Baccalaureus, Decretorum Licentiatas, cathedralis Ecclesiæ Viennensis Canonicus*; uti testatur *M. Georg. Peurbachii Tabulis Eclipticum* anno 1514. *Viennæ* excusis præfixus *Catalogus Virorum mathematicorum*, quos *Viennense Gymnasium celebres habuit* Hunc *Jacobus SPIEGELIUS* ICtus, in *Epistola præliminari ad Quint. Hæmilianum Cimpriaci Epicoedion tetracolon in Fridericum III. vocat Virum in Pontificum Jure, in sidereis Decretis, ac omni in Philosophia, etiam si Zoilo rumpantur ut ilia Codro, excellentem, ac prudentia singulari præditum. Valuit Noster insuper tanta apud Maximilianum I. gratia atque existimatione, ut is Imperator, suarum in Urbe causarum Sollicitatorem, illum constituere dignatus sit: ad quem Michaelis HUMMELBERGII plures extant Epistolæ, in *Histor. Vitæ & Meritorum Conr. PEUTINGERI* à me anno 1783. edita, p. 1782. *Jeqq.* Ad *Canonicatum Viennensem* anno 113 à *Maximiliano I.* præsentatum fuisse, monet *Michael DENIS* in *Libro: Wiens. Buchdrucker - Geschichte*: qui eundem etiam *Tridentinæ, Passaviensis & Augustanæ Ecclesiarum Canonicum* facit. *Canonicatu Viennensi* anno 1528. decessit: vivendi autem finem grandævus, haud dubie, apud *Wolfgangum de Salmis* episcopum *Passaviensem* fecit; cum de eo *Sebast. SOLIDUS* in *Necrophilis* suis canat:*

Sed tulit hoc tellus Musarum Bojara lumen

Hic ubi Danubii jungitur Oenus aquis.

Amicitiam fovit Noster cum Ioanne CUSPINIANO, Conrado CELTE et aliis doctissimis Viris: fuitque Membrum Societatis litterariæ Danubianæ. De laboribus literariis Stephani sequentia præcitatus Catalogus virorum mathematicorum testatur: Astronomiam aliquamdiu fidelissime docuit; supputavit Io. Tabulam Stellarum fixarum, & Io. Varia Prognostica, maiora procul dubio compilaturus. Dictorum Prognosticorum unum recenset Michael DENIS l. c. hoc titulo: Præctica teutsch magistri Steffani Rösslen von Augspurg zu warden und eren der loblichen hochenschul zu Wien. Auf das M. CCCC. und IIII. Jar.

in

exornatum fuisse, ad annum MCCCCLXXXVI. memorizæ prodidit *Georgius EDERUS* (m). Alia scientiarum emporia visitata à *Nostro* fuisse, etsi suspicari licet, affirmare tamen non ausim, utpote necessariis in id documentis destitutus. Utcunque sit, illud certum manet, eum *litteris & omnifariæ eruditionis subsidiis excultissimum* fuisse. Fecit autem ista doctrinæ copia, eximiis ac præclarissimis ingenii atque animi dotibus sociata (De his omnibus infra fusius dicitur) ut *Noster* cito mortalium in se oculos admirationemque converteret: præcipue postquam eum *Fridericus III.* Imperator in publicum producere cœpit, suum *abs secretis Epistolis Amanuensem* constituens. Hoc modo cum magnitudinis *Langianæ* fundamentum augustissimus Pater jecisset, eandem ad fastigium augustus Filius *Maximilianus I.* collatis in eum amplissimis gratiis, clementissime perduxit: dum illum primo quidem scribendarum *Epistolarum latinarum* muneri confirmavit, post etiam *Consiliarium intimum* (*), demum *Cancellarium aulicum* creare dignatus est; ex quo tempore gravissimis negotiis egregie gestis in dies magis magisque inclaruit: uti ex dicendis liquido patebit.

Ita-

in 4^{to}. Præterea una cum *Ioanne Pierio* GRACHO Poeta, *Martino* CAPINIO 1C^{to}. *Andrea* STIBORIO Mathematico, *Thoma* VELOCIANO Austriaco, communem amicum *Conradum* CELTEM Epitaphio honoravit, quod videlicet in *Libro Odarum Contr. CELTIS*, in 4^{to}. *Argentorati*. 1513. excuso. Confer, si lubet, *KHAUZ Geschichte oesterreich. Gelehrten*.

(m) In *Catalogo Rector. et illustr. Viror. Archigymnasii Viennensis*. p. 41.

(*) *I. D. KOEHLERUS* in *Libro: Münz - Belustigung. T. IV. p. 28.*

Papa obtinuit, ut in posterum liberam haberet potestatem sibi ipsi eligendi *Præpositum*, quem antea à Curia *Romana* efflagitari oportebat. Eidem quoque *Præposituræ* nova Insignia à Cæsare impetravit *Matthæus*. Præterea in eundem finem et memorati *Capituli* gratiam effecisse *Nostrum*, ut *Statutum* de civium Liberis in Ecclesiæ cathedralis gremium non admittendis à Cæsare confirmaretur, aiunt alii, alii negant (o). Libet afferre id, quod *Tabulæ MSSæ Compositionis* litis huius (*Vertrag zwischen des Capitels zu Augspurg, und des neuen Thomprobst Matthæi Lang daselbst de anno 1500. &c.*) habent: „Item. Es soll auch in unser und gemeiner Versammlung der heiligen Reichsstände Fürschriften begriffen sein, zue Rhom mit Fleis zue anbieten, und airbeiten, damit auch erlangt werde ain Confirmation über das Statutum: das keiner zu ainer dignitet, personat, noch officia ecclesiastica des Stifts zuëgelassen werden solle; er sey dan an Thomb, oder Capittelherr“. De his fatis!

Simile honoris genus, *Præposituram* nimirum *Matthæus* noster in summa quoque *Ede Constan-tiensi* capellivit: itemque *Victoriense* Ordinis *Cisterciensis* monasterium in *Carinthia* titulo *commendatorio* tenuit; inquam rem *FF. MEZGERI* (p) postquam *Ioannem VI.* Abbatem dicti cænobii anno *MDI.* mense *Augusto* supremis fatis functum fuisse monuerunt, eidem *Matthæum LANGIUM* surrogant verbis sequentibus: *Hic tenuit monasterium, plurimis*

(o) STENGELIUS l. c. GASSARI *Annales Augspurg.* inter *Scriptores MENK. NII*, T. I. p. 1740. *Paulus à STETTEN* junior in *Historie der adelichen Geschlechter der Stadt Augspurg.* 4to. p. 122.

(p) In *Historia Salisburgensi*, pag. 1269.

rimis debitis labefactatum, in sua Commenda cum omnibus juribus & pertinentiis annis 24. Interea præfecit Fratribus Priorem Ioannem Ranner, qui hoc officio annis 17. functus est. Plura alia Beneficia ecclesiastica possedisse Nostrum, affirmat superius à me laudatum Chronicon Augustanum MSSum. dicens: Difer Lang .. hat in Oesterreich, Keren- den und Steurmark Abbtey und Probstey in der Commend gehabt und Pfrienden und Pfarren ein- incorporirt .. und hat überkommen, das er ein lahr zu verzeren hat gehabt fl 18000. und hat doch persönlich nirgent selbst residirt.

Anno MDIV. rursus cum Maximiliano fuit, quando is *Bohemos, Ruperto Comiti Palatino & Philippo Electori Palatino* belli suppetias ferentes, prope *Ratisbonam* congressus cecidit: quo tempore suspicari licet, *Nostrum* inter *S. R. I. Equites* adlectum fuisse: nisi forte malis, id jam antea factum; de quo videndus *BARTHOLINUS Libr. X. Austriados, et Conr. PEUTINGERUS in Serm. convivial. dicens: De Insigniis militaribus Ordineque equestri, tibi partis, omnes gratulantur; dum enim pridie Idus Septembr. invictus Cæsar... Bohemorum IV. millia .. fudit, prosligavit, occidit, & plerisque captivis vitam elargitus .. ovans .. Ratisbonam est reversus; tu etiam unà, stipatus tuis, justum sacri Imperii bellum fovens, armatus insidens equo, quid Marte fremente valida bello manus possit, consistu expertus es.*

Anno MDV. die 8. Martii *Friderico à ZOLLERN* Episcopo *Augustano*, fatis supremis perfuncto, *Maximilianus* Cæsar multum in eo fuit, ut hunc episcopatum *Matthæo* impetraret; sed vicit *Henricus à LICHTENAU*; uti tradit *Gregor. ABERTZHAU- SER, à me in Alphabeto III. præsentis Bibliothecæ.*

cæ laudatus, in quodam suorum *Manuscriptorum*. Postea *Matthæus*, etiamnum *Administrator Gurcensis*, Conventui *Coloniensi* mense Julio ad componendam litem mox memoratam, quæ *Rupertum* Palatinum inter, & *Albertum* inferioris *Bavariæ* Ducem, ob hæreditatem *Georgii* Ducis exarserat, habito interfuit: eodemque anno, cum *Raymundus* PERAULDUS Episcopus *Gurcensis*, & S. R. E. Cardinalis quinta die Septembris vitam finiisset, ipse in *Gurcensem* episcopatum ordine XXXIII^{us}. venit (q).

Subsequenti anno MDVI. quando sacra *S. Leopoldi* Marchionis *Austriæ* ossa in cænobio *Neoburgensi* translata sunt, ei piæ solennitati adfuit *Noster*, uti testatum reliquit CUSPINIANUS (r). Subin *Maximiliano* iter *Italicum* meditante, rebus expediendis in *Italiam*, *Vicarii imperialis* sive *Locumtenentis* titulo ornatus perrexit (s). Hac autem proconsulari potestate bis munitus fuit: prima vice hoc anno; altera, quando ad *Iulium II.* Pontificem missus est: id quod testatur *Iacobus SPIEGELIUS*, inter *Jusli REUBERI* *Scriptores*, p. 1114. nota 3. addens: *primum* in id Diploma à se, alterum a BANNISIO Inclyti nominis Viro, scriptum fuisse.

Hiemem austrinam valdeque tepidam anni 1506. in annum MDVII. præcox morbidaque eiusdem anni constitutio secuta est. Qua tempestate LANGIUS noster *Wellenburg* castrum haud procul *Augusta* remotum; tum situ & ruinis squallens, ab *Antonio*

(q) V. *Ibidem*, pag. 1245. & HANSIZIUM l. c. p. 570. GASSARUM in *Annal. Augsbürg.* p. 1706. OEFELII *Script. Rer. Boiear. T. II.* p. 488. & *T. I.* p. 138.

(r) Apud HANSIZIUM, l. c.

(s) *Idem* l. c.

no LAUGINGERO cive *Augustano* quinque millibus ac ducentis *Rhenensibus aureis* comparavit, obtenta insuper apud Cæsarem facultate : ut non modo illud multis jam sæculis dirutum reædificaret, verum etiam Nobilitatis titulum ab eodem in agnatos suos perpetua præeminentia continuaret ; unde ex illo tempore LANGII, de *Wellenburg*, cognominati (t). Vix autem *Matthæus* magnificis structuris arcem absolverat, illico ad potestatem suam manifestandam *Augustanis* aucupium in suis nemoribus prohibuit. Habita eodem anno Comitia *Constantiæ* ad dominicam *Misericordias*, secundam post Pascha, quibus *Matthæus* noster præter morem haud adfuisse invenitur, fors alibi regiis negotiis conficiendis distentus. Fuit autem deinde cum *Maximiliano Oeniponti* ; ubi de rebus divinis cum Legato apostolico, Cardinale *Bernardino CARVAGIALE*, super epulis multa disseruit, præsentem Rege, multumque voluptatis ex docta Virorum horum sapientissimorum disputatione, de qua inferius mentio recurret, capiente (v).

Inibat annus à parta salute MDVIII. cuius primordia Cæsaris in *Italiam* profectio nobilitavit. Huic ex solito comes cum iret *Matthæus*, factum *Tridenti*, quod *Gerardus de roo* (x) refert, dicens : *Cæsar Tridentum profectus ad tertium Nonas Februarias publicis supplicationibus peractis iter in Italiam edicit, & per Matthæum LANGIUM Epistolarum Magistrum e suggestu se non jam Regem, ut hæctenus, sed Romanorum Imperatorem deinceps appellandum promulgari jubet.* Miserat nimirum *Iulius*

C 3

(t) GASSARUS l. c. p. 1745. KHAMMIUS in *Hierarch. August* P. I. p. 255. & alii.

(v) HANSIZIUS l. c.

(x) In *Annalib. Austriac.* p. 437.

lius II. Pontifex litteras auro scriptas ad supra memoratum *Bernardinum CARVAGIALEM* Cardinalem *S. Crucis*, quibus appellationem, *Romanorum Imperatoris, Maximiliano* impertiebatur eò consiliò, ut expeditionem *Italicam* impediret, quam *Veneti* objectis etiam armis arcere conati fuerant. Hæc belli origo, quò cohortes quædam cæsareæ, ad patefaciendam viam præmissæ, in finibus *Tirolensibus* in fugam actæ. Ea clade et insolentia exacerbatus Cæsar ultionem parat, LANGIUM in *Gallias* mittens, ut fædus cum *Ludovico XII.* pangeret, cui postea et *Iulius II.* Papa accessit; namque ambos, non minus ac Cæsarem, *Venetorum* injuriæ irritarant. *Noster* triginta equitum comitatu stipatus appulit *Valencenis*, ubi eum Legati Regis operiebantur: à quibus *Parisos* deductus cum Rege de fædere contra *Venetos* contulit. Hoc acceptato convénit, ut de conditionibus fæderis *Cameraci* disertius tractaretur. LANGIUS à Rege convivalibus instrumentis pretio mille quingentorum Coronatorum donatus. Eius aulæ Magister *de Schenckenstein*, aliique baltheum militare muneris acceperunt. Ita dimissi *Cameracum* sunt, quò etiam advenit *Margarita* filia Cæsaris, *Belgii* Gubernatrix. Primum fædus inter Cæsarem et Regem solos conclusum est mense Junio: demum et Papa *Iulius* (ut supra monui) ad idem aggregatus. Fædus univèrsum die 10 Decembris absolutum & suprema in æde publicatum.

Itaque anno sequenti MDIX. itum in *Venetos*; ubi LANGIO multum negotiorum fuit in expediendis Principum Germaniæ subsidiis, inque re belli administranda; nam idem univèrsa hæc curabat. *Veneti*, etsi tantæ potentiæ essent impares, ad *Ghiarradam* tamen cum *Gallis* congressi magnâ strage

Frage cæsi sunt, brevique in eas redacti angustias, ut missis ad *Maximilianum* Legatis, quæcunque in continenti possederant, cedere offerrent, addito etiam annuo auri tributo, cum iis denique conditionibus, quas Cæsar ipse desideraret: quo sine *chartam* candidam misere à Senatu subscriptam, à Cæsare vero pro arbitrio inscribendam. Respuit hæc omnia *Maximilianus*, fidem fæderatis *Cameraci* datam violare non ausus: quæ inter LANGIUS, quippe *Maximiliani* per Italiam *Vicarius*, oppida *Venetorum* (præter *Tarvisium*) universa in fidem accepit. Sed cum Pontifex receptis, quæ volebat, è *Venetis*, eosdem extingui è re *Italiae* haud esse putans, iratus etiam *Gallis* ob defensos *Ferrarienses*, primus à pactione defecisset: *Veneti* autem *Patavium* recuperassent primum, mox etiam strenue contra Cæsarianos defendissent, novi *Matthæo* nostro labores pro Cæsaris in *Italia* rationibus fulciendis oblatis sunt (y).

Sic novum quemque annum novis præclare factis, novisque pro Reipublicæ tum sacrae tum profanae salute atque utilitate egregie gestis insignire non omisit LANGIUS noster. Pontificis defectione nil turbati *Maximilianus* Imperator, & *Ludovicus* Galliaë rex bellum urgere non destiterunt. Ea de causa Cæsar *Comitia* Imperii in anni MDX. diem 12. Januarii *Augustam* indixit, eoque ipse pervenit die 21. Februarii, secum inter alios & *Matthæum* nostrum ducens (z). Finito Conventu

C 4

LAN-

(y) MEZGERI in *Hist. Salisburg.* p. 524. 525. HAN-
SIZIUS l. c. p. 570 571.

(z) V. Libellum vernaculum *Augustæ*. 1510. ab *Erhardo Oeglin* excusum in 4^{to}. hoc initio: *Anno fünfzehnhundert und zehen Jar hat die kaiserlich Majestat gem*
Auw-

LANGIUS denuo in *Gallias* sollicitandis auxiliis ad extorquendum Venetis *Tarvisum* & *Patavium* profectus, renovavit cum Rege fœdus in urbe *Blesensi* (*) ea tamen sponfione illaudata, qua conventum erat (ut Rex petebat) de Concilio generali cogendo, in quo de controversiis Pontificem inter & Regem vertentibus judicaretur: Ad id etiam Germaniæ Præsules ut inducerentur, postulatum. Sic novum Schisma adornabatur. Quamobrem Pontifex majorem in modum anxius, ne quid Ecclesia detrimenti caperet, pro spe, quam in LANGIO ponebat, haud mediocri plurimum apud *Maximilianum* sollicitabat, ut *Gurcensem* (Hoc *Nasser* ut plurimum nomine vocabatur) ad se legaret, quod eius interventu multa pro gloria, incremento, amplitudineque Germanicæ Nationis ac suæ Majestatis decernere ac constituere deliberasset. Huc pertinet Epistola *Iulii II.* ad *Nostrium* scripta his verbis: *Dilecte Fili, salutem. Et apostolicam benedictionem! Intelleximus, te esse in itinere ad Nos veniendi cum plena commissione charissimi in Christo filii nostri Maximiliani . . . tractandi res Venetas: et ideo significandum tibi duximus, quid cum ipsis Venetis operati fuerimus. . . . Quapropter te, dilectissimo fili! quanto possumus, studio Et affectu hortamur, ut ad Nos venire non differas, sed acceleres; nam, ut aliat ad te scripsimus, rebus Cæsaris bene confectis cum magno incremento honoris tui redibis. Quam autem expediat rebus Cæsaris Et tuis, ad Nos quamprimum sine cunctatione venire, ex litteris dilecti filii Viti Fürst*

Augsburg an kaiserlichen Reichstag beschrieben &c. &c. ubi *Noster* inter Cæsaris comites primò locò nominatur.

(*) Vide *Lettres du Roy Louis XII.* *Bruxellis.* 1712. I. D. KOEHLERUS l. c. ponit urbem *Turouensem* pro *Blesensem*. Idem facit *FREHERUS* in *Theatr. Erudit.* p. 29.

Fürst (Fuit is Gubernator & Vicarius Imperialis Ducatus Mutinensis) *Affinis tui . . . intelliges . . .* (Vide Librum : *Lettres du Roy Louis XII. &c. Vols. II. p. 112.*)

Cæsar, ne paci ac tranquillitati Italiae in aliquo defuisse videretur, morem gerere Pontifici statuit: LANGIUS autem, postquam è Gallia redux Cæsarem Friburgi Brisgoiæ convenisset, paratis Augustæ rebus cum Martino Comite Oetingio, Ioanne Schenck de Schenckenstein, Ioanne LANGO fratre, aliisque Nobilibus, centum equitum turba stipatus, anno MDXI. mense Martio iter in Italiam aggreditur. Indictus Mantuam conventus fuerat agente Ferdinando Rege Catholico, ut, pace Italiae restituta, contra Barbaros arma verterentur: quod consilium identidem Cæsar ipse coquebat. Mantuæ cum esset LANGIUS, nihil confici poterat; quod Pontifex Oratorem non legarat: instabat autem idem, uti LANGIUS ad se veniret, pollicebaturque, curaturum se omnia, quò is cum honore proprio & incremento, gloriæque Cæsaris in Germaniam redeat. Abnuît primo Matthæus, nisi Venetis persuaderetur, ut Paduam Cæsari restituerent: deinde tamen hortatu Oratoris Hispani Bononiam profectus est; ad quam ipsam urbem Pontifex, ut honorificentius eum exciperet, velut ipsemet obviam ei processurus ex civitate Ravenna contendit. Volebat nimirum Papa tanto honore recipi Gurcensem, ut ne majore quidem Regum ullus recipi posset. Hinc factum, ut LANGIUS ingenti pompa et splendidissimo apparatu die 11. Aprilis & ingrederetur Bononiam, et, qua Cæsaris per Italiam Vicarius, ad Pontificem, qui eundem cum omnibus suis Cardinalibus præstolabatur, honorificen-

tissime deduceretur (a). Expositis à *Gurcenſi* manâ datis, Pontifex quum *Venetos* ad postulata (b) traducere nequiret, incubuit in diverſum. Ampliſſimis LANGIUM pollicitationibus aggreditur: modo cederet pauliſper, ut pax fieret, & conditiones paulo æquiores *Venetis* proponerentur. At *Gurcenſis* nullis promiſſis, nullis muneribus, re nulla alia adduci ſe paſſus eſt, ut mandatum transgrederetur. Quod cum obtineri a ſe haud poſſe videret, veniâ abeundi à Pontifice eſſagitata, quarta decima die, poſtquam *Bononiam* venerat, diſceſſit *Mutinam* primò, poſt *Mantuam* (c). Inde *Parmam* venit, cum *Epifcopo Pariſenſi*, *Regis Galliarum* Legato collaturus negotium. His geſtis LANGIUS nomine Cæſaris tres Procuratores *Mediolanum* miſit, qui Cardinalibus ibidem morantibus & *Galliæ* *Regis* Procuratoribus juncti Concilium *Piſis* celebrandum die 16. Maii indixerunt: eius autem initio faciendò *Calendas Septembres* conſtituerunt. Quo audito Pontifex, de ſua auctoritate agi haud neſcius, Concilium generale annò proximò *Romæ* in *Laterano* celebrandum promulgavit, *Piſanis* illegitimum *Conventum* ſuum nihilominus proſequi ſtudentibus: qui poſtea *Mediolanum*, ſubin *Lugdunum* tranſiit, denique inter-

venien-

(a) Apparatum hunc magnificentiſſimum fuſius deſcripſit *Paris de GRASSIS* in Libro: *De Cærimoniis*.

(b) Erant hæc ſequentia: *Cæſar Vicentiam cum Veronâ* retineret. *Veneti Tarviſum et Paduam acceptam ferrent Imperio, tributuri certam quotannis penſionem. Reliqua eorum ditio in continente cum Forojulio rediret ad Patriarcham Aquilejæ, clientem Imperii.*

(c) Hæc ad verbum HANSIZIUS l. c. p. 57a. Alii Scriptores alias cauſas afferunt, ob quas tractatus diſſiſit: et quas idem HANSIZIUS refert; ego autem brevitati ſtudentis omitto.

veniente *Iulii II.* morte extinctus est. At LANGIUS providus malorum, quæ ex Conciliabulo *Pisano* in Rempublicam sacram et profanam redundatura erant, mature receptui cecinit. Etenim ad illud *Pisis* inchoatum, deinde *Mediolani* continuatum nec accessit ipse, neque ut alii Cæsaris auctoritate accederent, curavit, fors & impedivit. Quum enim tres essent Oratores à Cæsare submissi, ii non ultra *Tridentum* progressi sunt, Cæsare in dies moras neſtente. Haud dubium est, id factum fuisse auctore *Gurcensi*, cuius in utramque partem apud Cæsarem & Principes summa erat autoritas: cuiusque arbitrio res *Italiae* vertebantur. Id probe cognitum habens *Iulius*, qui omnem curam ad Conventiculum *Pisanum* opprimendum converterat, intelligebat, nihil rationibus suis conducentius fore, quàm si *Gurcensem* ab eo retractum suis partibus adjungeret. Sic annus 1511. novum idque sublime admodum honoris genus LANGIO nostro attulit, *Cardinalitiam* puta *Purpuram*, quàm eum dignum esse, primò *secreto* secum judicavit IULIUS Papa, deinde die 18 Decembris dicti anni, capto fidelitatis ejus in Ecclesiam experimento, et promulgavit (d). Quamvis autem *Cardinalis* (*S. Angeli in foro piscium*) renunciatus esset, vestes insigniaque huic Ordini convenientia deferre noluit (*) sive modestiæ ergo; sive ne (ut erat animi excelsi) in negotiis gestis præmium magis quam officium spectasse videretur, obnoxiumque se faceret Pontifici contra rationes Cæsaris; sive (quod verisimillimum) ne Gal-

(d) CIACONIUS in *Vitis Pontif.* T. III. p. 299. & alii quibuscum non concordant RAYNALDUS & SPONDANUS, sed perperam.

(*) V. *Paridem de GRASSIS l. c.*

Gallis ante tempus illuceret indicium privatarum inter Papam & Cæsarem rationum; quippe quod interesset Cæsaris, ob causam *Venctorum* in societate Gallos retinere. Hoc eodem anno (1511) factum affirmat HANSIZIUS (e), quod superius pag. 34. de facultate Capitulo cathedrali *Augustano*, sibi *Præpositum* eligendi, à Papa per *Nostrum* obtenta monui. Per ea tempora, *Iulio* Pontifice repente in gravem morbum lapsò, adeo ut jam etiam fe-cutæ mortis fama increbresceret, *Maximilianus* in eam cogitationem incidit, ut Papatum ipse ambiret: quo in negotio quænam partes *Nostræ* fuerint, discas ex *Burc. Gotth. STRUVII Corpore Historiæ Germanicæ, T. II. p. 972. 973.* Ego ad reliqua pergo.

In Germania *Maximilianus*, ut Regi *Galliæ* satisfaceret, plures sacrorum antistitum cogebat cætus, eorundem sensa exploraturus. Sic anno MDXII. *Augustæ, Colonia, Treviris*, convenere patres, quorum omnium fides erga Sedem Apostolicam integra enituit, *Conventum Pisanum* seditiosum ac detestandum censentium, haud dubie è sententia *Maximiliani & LANGII*, qui hanc ipsam captabant occasionem excusandi apud *Galliæ* Regem instituti sui, quod nullum adhuc *Oratorum ad Pisanos* misissent. Certe *Conventus Trevirensis*, 11. Aprilis coactus, eum finem sortitus est, ut *LANGIUS Romam* ire juberetur cum mandato, rejecta *Pisæ* synodo *Lateranense* Concilium nomine *Germaniæ* amplectendi. Eius adventus spe proximam *Sessionem* prorogarat *Iulius* reddita per litteras causa, quas apud *RAYNALDUM* (f) legere est. *Noster*, jubente Pontifice, per totam papalem ditionem magnificent-

(e) In *Metropoli Salisburgenfi*, p. 574.

(f) In *Annal. ecclesiast.*

ſcientiffime exceptus, maximâque omnium expectatione *Romam* ſolemniffime ingreſſus eſt, utpote, cui ex Pontificis & ſacri Collegii conſulto omnes honores, vel regi vel regis primogenito præſtari ſoliti, decreti fuerant. Pompam hanc omnem fuſe deſcripſit *Pierius VALERIANUS* in *Epiftola ad Petrum CRISPUM*, quam ſi lubet, conſules (g). Tanta autem erat Viri fama atque exiſtimatio, ut eum plures (Hos inter et *Maximilianus* Cæſar extitit) etiam papali folio ſecum deſtinârunt. Hinc mox laudatus VALERIANUS canit:

Auguſti Imperii Cuſtos fidiffime ſalve!

Salve chara Deûm proles, reſtura per æquor

Carbaſa Clavigeri tandem! . . .

Præcipue crebris reſ iſta ſermonibus, *Hadriano* Pontifice morte extincto, jactabatur, uti tradit SECKENDORFIUS in *Historia Lutheranismi*, L. I. p. 289. — Sed rurfus ad propoſitum argumentum. Poſt hæc actum de rebus *Venetorum*, ceſſioneque *Vicentiæ & Veronæ*, quas occupatas Cæſar tenebat, *Veneti* contra cedere, pertinaciter recuſabant. Hos contra ob eam cauſſam Pontificem inter & Cæſarem ſingulare fœdus à *Matthæo* concludum: quo publicato LANGIUS *ſeſſioni III.* Concilii Cæſaris nomine interfuit, obtulitque eius Mandatum, quo ejurata Synodo *Piſana Lateranenſe* Concilium comprobavit (*). Paulo poſt LANGIUS, multis à Papa donatus muneribus, *Roma* relicta, *Veronam* venit; quum aſſumpto ſecum Prorege *Neapolitano*, *Raymundo CARDONA Mediolanum* profeſtus, die 29. Decembris *Maximilianum SFORZIAM* in urbem et avitum principatum, *Matthæo* Cardi-

nale

(g) Integram exhibet CIACONIVS l. c. p. 300.

(*) V. LABBAEI & COSSARTII *Concil. Colleçt.* T. XIX. p. 73^r.

nale *Sedunenſi* Legato Apoſtólico in id operam con-
ferente, induxit.

Ineunte anno MDXIII. LANGIUS noſter cum Le-
gatis Regis *Hiſpaniarum Ioanne SPINOLA & Petro*
URREA in Germaniam reverſus Cæſarem, qui tum
apud Vindelicos agebat, cudens foedus cum Lega-
gato *Henrici VIII. Regis Angliæ* adverſus *Gal-*
los (ad quem ipſum regem *Noſtro* à Cæſare-Le-
gationem demandatam fuiſſe, apud *Val. ROTMA-*
RUM in *Annal. Academ. Ingolſtad.* reperio) con-
venit. Agebatur de ipſo *Venetis* conciliando, ne
per iſtos evocatis rurfus Gallis *Italia* turbaretur;
quod cum obtinere Pontifex haud poſſet ex febrī
præ mærore (ut fertur) animi contracta die 21.
Februarii e vita deceſſit. Ei ſuſſectus *Leo X.* die
25. eiſdem menſis. Per id tempus *Matthæus* no-
ſter *Auguſtæ* ædiculam *D. Narcifſo* extruxit, in
cuius ſuperliminari *Inſcriptionem* legere eſt, ſupra
ſtatim initio huius narrationis à me allatam: *Ioan-*
ni Lang, & Margaritæ conjugī Ꝇc. Ꝇc. tum etiam
aliam in marmor incifam his verbis:

D. O. M.

DIVOQUE MATTHÆO AC NARCISſO MARTYRI
PATRONIS,

ET

AD SUI FAMILIÆQUE LANGORUM MEMORIAM
R. D. MATTHÆUS S. ANGELI DIACONUS CARDINALIS,
GURCENSIS, ET COADJUTOR SALISBURGENSIS,
IMPER. IN ITALIA LOCUMTENENS GENERALIS
ÆDEM HANC

ÆRE SUO A FUNDAMENTIS EREXIT (h).

Videtur autem poſterior hæc *Inſcriptio*, quod in ea
de *Coadjutoris Salisburgenſis* dignitate mentio fiat,
paulo

(h) *Corb. KHAMMIUS* in *Hierarch. Auguſt. P. II, p. 276.*

Paulo serius, scilicet anno 1514. aut post posita fuisset. Ceterum LANGIUS *Augusta* digressus bellum contra *Venetos* curabat, qui mense Octobri huius anni 1513. prope *Vicentiam* funesta clade succubuerunt. Inde animis utrinque ad pacem inclinatis arbiter lectus Pontifex *Leo*, ad quem senescente jam anno cum Comite *Hoyero de Mansfeld* & *Nicol. Zieglero* Procancellario missus est LANGIUS, tum *Cæsaris* & Archiducis *Caroli* nomine Papam reveriturus, tum pacis *Venetæ* negotium tractaturus. Illi ad urbem appropinquanti *Leo*, discedere *Româ* paulisper animi causa volens, litteras misit, *Petri BEMBI* stylo scriptas, in quibus se curaturum promisit, ut *Matthæus* ipsum jam *Romam* reversum offenderet (i). Transmisit eidem etiam galorum cardinalitium ad *Pongibonzium* oppidum usque, quem tamen *Noster* accipere recusabat, dicens, eum jam à *Julio II.* missum accepisse. Quoniam vero solenni ritu capiti ejus non fuerat impositus, opponente se *Cærimoniarum Magistro*, decretum fuit, ut coram duodecim Cardinalibus nocte antecedente impositione galeri solenniter inauguraretur. Datum deinde ei à *Leone*, ut *Ecclesia S. Angeli in foro piscium*, quæ aliàs *Cardinalium Diaconorum* est, quoad ipse superstes esset, inter *presbyterales* haberetur: à quo ipso Pontifice postea ad *Ecclesiam eum S. Mariæ trans Tyberim* translatum, & *Cardinalibus Presbyteris* associatum fuisse reperio. Licet autem negotium, ob quod *Romam* adierat LANGIUS, non succederet, utraque contendentium parte *Leonis* sententiam acceptare renuente; tamen is per partem sequentis anni 1514. in Urbe substitit; intra quod temporis intervallum eum multum se probasse no-

VO

(i) Litteras integras exhibet CIACONIUS l. c. p. 300.

vo Pontifici, credibile fit; & *Sessioni IX. Concilii Lateranensis*, 5. die Maii habitæ adfuisse liquet ex *Collect. Concil. LABBÆI & COSSARTII, T. XIX.*

Ad mox memoratum annum MDXIV. pertinet opera à *Matthæo* Collegio metropolitico *Salisburgensi* præstita. Fluxerant 390. anni, ab anno 1122. quo *Conradus I.* institutum Collegium metropoliticum ad familiæ religiosæ conditionem redegerat. Verum immutata temporum ratio, & mos aliarum insignium cathedralium Ecclesiarum vix amplius antiqua instituta patiebantur. Accedebat paucitas Candidatorum Religionis, etsi multi forent, qui dignitatis esse mallet (*). Itaque *Matthæi* nostri, qui *Romæ* (ut paulo ante dixi) remanserat, inventu ac studio factum, ut Collegio illi ad Cleri sæcularis statum transeundi licentia à Pontifice daretur. Qua de caussa DD. Canonici in vicem gratitudinis id gratiæ LANGIO retulerunt, ut assentiente, licet ægre, *Leonardo* Archiepiscopo in *Coadjutorem* ipsum eligerent, jamjam ad archiepiscopale fastigium aspirantem. Accessit Pontificis assensus, & impulsus Cæsaris, datumque etiam novo *Coadjutori* jus succedendi post mortem *Leonardi*: concessa ei insuper sedes *Mühl-dorfii*, adjectis sylvis et aquis propinquis pro venerationis & piscationis opportunitate. Hoc quoque anno *Noster* die 16. Augusti *Augustam*, ubi tum *Maximilianus* morabatur, adveniens à Clero & Senatu splendide exceptus fuit, uti monet *KHAMMIUS* in *Hierarch. August. P. I p. 306.* Circa idem tempus *Noster*, una cum aliis pluribus Patritiis

ac

(*) V. *Historiam Salisburgens.* Collectionem *Scriptorum Rev. monastico - ecclesiast. T. V. P. II. p. 75. seqq. Franc. DUCKHERI Chronick von Salzburg, p. 233.*

ac Civibus *Augustanis*, ibidem ad Templum *Fratrum Ord. Prædicat.* ruinæ proximum, à fundamentis de-
nuo excitandum amplissimas eleemosynas contribuit, teste mox laudato KHAMMIO, *l. c. p.* 307. ubi monu-
mentum, ad perpetuam rei memoriam positum, habes.

ANNUM MDXV. nonnullorum maximorum *Eu-ropæ* Regum cum Cæsare congressus, juxta ac serenissimæ quorundam Principum nuptiæ conciliatæ memorabilem reddiderunt. Rex erat *Hungariæ Bohemiæque* *Uladislaus*, cui filius *Ludovicus*, & *Anna* filia: *Uladislai* frater *Sigismundus* rex *Poloniæ*. Cum his non sociali tantum, sed etiam necessitudinis & propinquitatis vinculo conjungi ambiebat Cæsar, in eam rem LANGII opera utens: tum ut hoc modo per mutua conjugia regna firmarentur: tum ut unitis viribus Turcarum Imperator *Selimus*, qui reportata de *Ismaele Sophi Persarum* anno superiore victoria fors insolentior factus, *Pannoniam* invasurus timebatur, repelleretur. Itaque *Cardinalis* noster, mense *Februario* *Augusti* movens, *Viennam* 23. *Februarii*, inde *Neostadium* venit: ubi electa Nobilitate ex *Austria Styrbæque* provinciis, ad augendam congressus pompam advocata, *Pofonium* contendit. Aderant in ea urbe *Uladislaus*; aderat *Sigismundus*; LANGIUS uti magnificentissimo comitatu advenit, ita apparatu magnificentissimo exceptus est ab Archiepiscopo *Colocensi*; denique et *Thomas* *Cardinalis Strigoniensis* appulit. Initio multi tractatus incassum habiti: at die 12. *Aprilis* articuli quidam conclusi; de quibus cum LANGIUS, *Viennam* reversus, per nuncios ad Cæsarem retulisset, *Pofonium* redire et reliqua conficere jussus est. Eo igitur *Cardinalis* noster cum sex consiliariis descendens, ita impositum si-

bi munus tractavit, ut 20. Maii pacta ad liquidum perducta & in Procerum corona publicata fuerint (k). His confectis *Noster* ad Cæsarem tetendit. Tum circa Kalendas Junii *Salisburgum* divertit, ubi maximis honoribus acceptus fuit. Hæc inter Cæsarem, *Augustæ* usque ad mensem Iulium moras trahentem, Reges pertæsi per alios aliosque nuncios urgebant. - Eos litteris, consolatus LANGIUS, octava Iulii *Viennam* revertitur, quem paulo post infecutus Cæsar die 16. dicti mensis in patulo campo prope castrum *Trautmansdorf* cum Regibus dexteras miscuit. Tunc LANGIUS Cæsaris vestigia, inter *Hispanum* & *Anglum* Legatos medius pressit. Salutationibus peractis Cæsar Reges *Viennam* invitavit; Hæsit anceps *Hungarus*; at LANGIUS *Polonum* aggressus, eum protinus in sententiam traxit. Ergo die 17. Iulii Reges cum Cæsare *Viennam* advecti sunt. Actum in hoc regio congressu de pace inter eos reges firmanda per mutuam connubium *Ludovici* Hungari cum *Maria* filia *Philippi*, *Maximiliani* Cæsaris filii, sorore *Caroli*: & *Ferdinandi*, itidem *Maximiliani* filii, cum sorore *Ludovici*. Sic novo nexu *Hungaria* & *Bohemia* Domui *Austriacæ* devincta. Tractatum etiam de bello *Turcis* inferendo: de pace inter *Sigismundum* *Polonum* & *Moschos* componenda, aliaque his confectanea; in quibus omnibus conficiendis partem certe maximam habuit *Cardinalis* noster, ob id a Regibus vasis aureis miro artificio fabrefactis, pellibusque Zebellinorum maximi pretii, quæ ex *Ruthenis* & *Moschis* advehuntur, donatus, & miris honoris testificationibus ornatus. Eodem an-

no

(k) Horum exemplar in Bibliotheca cæsarea extare monet HANSZIUS l. c. p. 580. eorum initium & finem verbatim apponens.

NO 1515. *Noster* rursus à *Leone* litteris compellari meruit: in quibus iste Pontifex suum ad Cæsarem Legatum *Augustinum Viterbiensem*, postea Cardinalem, demum Patriarcham *Constantinopolitanum* verbis significantissimis *Matthæo* nostro commendavit. (l).

Subin anno MDXVI. tantisper ad otium se retulit *Noster* diversatus *Mühdorfii* oppido, quod ei quâ *Coadjutori Salisburgensi* nuper attributum fuisse, paulo ante monui. Per id tempus *Wolfgangum* Abbatem *S. Petri Salisburgensis*, ad se venientem, perhumaniter accepit, mulâque donavit.

Anni MDXVII. initio novis *Leo* litteris *Nostrum* dignatus est, quibus eum hortabatur, ut operam suam apud Cæsarem interponeret pro *Bernardo BBIENA* Cardinale, quem Ecclesie *Cauriensi* in *Hispania* Pontifex præposuerat: in cuius possessione, inquit, assequenda si difficultatis aliquid experiretur, Cæsar suam auctoritatem apud nepotem suum *Carolûm Hispaniarum regem* interponeret. Te, quantum maxime possum, hortor, velis, si erit opus, eius causam apud Cæsarem tueri ac suscipere, quippe hominis tibi deditissimi, tuorum bonorum cupientissimi &c. &c. (m). Per ea tempora LANGIUM, ex otio *Mühdorfensi* in aulam revocatum, res ingentes exercebant duæ. Prima erat expeditio contra *Turcam*, de qua serio deliberari cæptum præeunte Romano Pontifice. Is *Consultationem* (n) ea super re pluribus capitibus constantem, ad Cæsarem mise-

D 2

rat,

(l) Litteras integras proponit CIACONIUS in *Vit. Pontif.* l. c.

(m) V. HANSIZIUM l. c. p. 582. cuius ipsissimis verbis tum hoc in loco, tum in aliis sæpissime utor. Atque hoc semel monuisse sufficiat; quod eius auctoritatem hand ubivis, atque identidem, expressè citandam duxerim.

(n) Habetur illa INGOLDASTI *Constitut.* Imper. T. II. p. 127.

rat, quam cum ille Ordinibus, *Welsum Austriae* oppidum evocatis, exhibuisset, responsum accepit, promptos se ad vota Cæsaris esse, si modo vires & studia reliquorum *Germaniæ* Statuum accederent. Hoc responso habito Cæsar Comitia Imperii anno sequenti *Augustæ* habenda indixit. *Altera* fuit, ut *Carolo* (quod unice in votis *Maximilianus* habebat) viam ad Imperii coronam capiendam sterneret.

Hæc inter annô MDXVIII. die 18. Iunii *Wolfgangum* Cænobiarcham *S. Petri* mors rapuit: quo extincto illud monasterium, ut ferebatur, *Noster* in *Commendam* a Pontifice accipere aut cupiebat, aut impetrârat; sed *Leonardi* Archiepiscopi, præcessoris sui machinationibus repulsus, nil ultra movit. Subin ad Comitiam *Augustanâ* profectus tum in rationibus belli contra *Turcam* adornandis, tum in Electorum voluntatibus ad sententiam Cæsaris pro *Carolo* nepote traducendis, tum in Religionis dissidiis, quæ indies magis ac magis invalescebant, mature suffocandis, atque *Luthero* & per se, et per *Ioannem STAUPIZIUM* Ordinis *Augustiniani* Vicarium generalem ad frugem sanioraque consilia revocando (licet in hoc frustra) plurimum allaboravit. Per id Comitiorum tempus *Thomas Caietanus* Cardinalis *S. Sixti* missis à Pontifice sacri belli ducatus Insignibus, *Ensi* & *Galea*, Imperatorem solennibus cærimoniis accinxit, functionem stipante LANGIO nostro, cuius alteræ quoque partes in *Alberto Moguntino*, Romanâ Purpurâ exornando, fuerunt. Conventu soluto *Noster* ad *Ulricum Wûrtembergiæ* Ducem, ob piaculum, in conjugem admissum, necemque *Ioannis Huttni*, censura Imperiali notatum, atque inde ad arma proficientem Legatus à Cæsare ivit, eumque Prin-

Principem ad officium, licet haud diu duraturum, redegit.

Primordia anni MDXIX. casus tristissimus obstravit, *Maximiliano* Cæsare *Welsii* in *Austria* ad diem 12. Ianuarii, e vita sublato. Ferunt, Imperatorem, cum extremum decumberet, iussisse, ut *Cardinalis* ex *Mühldorf*, ubi tum agebat, accerferetur; sed imperium à servis neglectum esse. Cumque jam vitæ terminus instaret, & Cæsar sæpius quæsiuisset, an nondum adesset, serio demum imperasse, ut accerferetur quantocyus. Quo facto venisse quidem properato *Cardinalem*, sed Cæsarem jam vita functum reperisse: qui haud dubie, quod per vitam consueverat, etiam in morte res ultimas cum *Nostro* componere statuerat. Non potuit non acerbissimus accidere LANGIO is occasus. Quare non solum optimum & amicissimum Principem intempestive sibi ereptum deflevit amare, sed etiam suprema iusta ex debito solenni pompa perfolvit, dicente ex cathedra laudésque Principis ad posteritatis memoriam celebrante *Ioanne FABRO Ord. Prædicat.* alumno (o). *Maximilianum* Cæsarem hoc eodem anno die 7. Iunii moriendo infecutus *Leonardus* Archipræsul *Salisburgensis* locum *Nostro* cessit. Quare is, à Capitulo vocatus, per *Christophorum* (p) Episcopum *Augustanum*, suum antehac Consiliarium, sedis archiepiscopalis potestatem capessit. Ipse namque in Comitibus *Francosurtensibus* negotio *Caroli* Regis *Hispaniarum* bene regendo detinebatur, utpote ab hoc Principe *Litteris potestatis* datis 1519. die 8. Maii, rerum

D 3

ibi

(o) De hoc viro egi in *Alphabeto I.* præsentis *Bibliothecæ.*

(p) De *Christophoro* vide *Alphabetum IV.* meæ *Bibliothecæ.*

ibi agendarum *Procurator*, *Mandatarius*, *Actor*, *Factor* &c. constitutus. Iam vero *Francofurti* contra Imperii æmulos multo ingenio depugnandum fuerat: quod *Noster* adeo feliciter præstitit, ut *Carolus V.* die 8. Iunii *Imperator* renunciaretur (g): ut omnes, qui divinæ huic electioni adversari voluerant (fulre autem hi quamplurimi & magni) cum summa confusione ac perpetua nota discesserint, uti habet *Ioann. FABER* in *Epistola* dedicatoria ad *Orationem in Maximilianum I.* Mitius rem exponunt *FF. MEZGERI* in *Hist. Salisb.* p. 529. dicentes: *Rivales Imperii erant Rex Galliarum Franciscus: & Carolus Rex Hispaniarum. Res tamen verbis tantum et legationibus modeste agebatur &c.* Nuncios electionis, in *Hispaniam* tendentes, unâ literis instruxerat *Matthæus*, quibus *Carolum* de perturbatis *Austriæ* rebus (Præfectos à *Maximiliano* constitutos loco moverant), edocuit; sed jam *Oratores Ordinum Austriacorum* advenerant, ausum apud *Carolum* excusantes. Is per diploma anno eodem (1519) 27. Iulii datum rescribens, procurationem *Austriacarum* terrarum *Nostro*, tum etiam *Bernardo Tridentino*, & *Petro Tergesino* episcopis, aliisque procerum nonnullis mandavit, integrum permittens, sive per se, sive per Delegates provincias illas in fidem acciperent, adigerentque ad sacramentum, *Fratrum Archiducum* nomine. Posthæc *Salisburgum*, & in sedis suæ archiepiscopalis possessionem profectus *Cardinalis* noster, eam urbem insolito apparatu, mense Septembri feria sexta, seu die Veneris post *S. Matthæi* festum ingressus est, adducens secum ex *Mühl-dorfio* integram aulam, omnibus Officiariis instructam: qualem cum etiam *Salisburgi* bene constitutam

(g) Consule *MEZGEROS* in *Histor. Salisburg.* p. 529.

tutam reperisset, tamen nec suorum, nec eorum, quos in aula invenerat, ullum dimisit, aut abegit; donec aut dimissionem, alias nacti conditiones, ipsi peterent: aut moriendo locum vacuum fecissent. Ita Princeps prudentissimus adjunxit sibi omnes, offendit neminem. Retinuit autem aliquamdiu etiam, postquam altius evehctus est, episcopatum *Gurcensem*. Addendum plane hęc locō, quod nulli vel *Salisburgensium*, vel exterorum Scriptorum (unum si demas *Carol. MEICHELBECKIUM* in *Historia Episcopatus Frisingensis*, T. II. p. 296.) observatum fuit: nimirum *Nostrum* altera post solennem in urbem *Salisburgensem* ingressum die, quę in *Dominicam* incidit, in *Archiepiscopum* fuisse consecratum. Docent hoc Litterę *Nostræ* ad *Philippum* ex *Comitibus Palatinis Rheni*, *Episcopum Frisingensem*, quibus *Nostrer* Principem hunc exoravit, ut sibi archiepiscopalem *Consecrationem* conferre vellet, utpotę qui, inter alios primus, etiam *Pallii* archiepiscopalis *Nostræ* conferendi provinciam à *Romana* Curia accepisset &c.

In archiepiscopali folio positus, ut antea, *Virum* insignem se prębuit duabus maxime rebus, liberalitate & defendendę Religionis, quę per illa tempora multum periclitabatur, studio, ob quod à Scriptoribus acatholicis passim male audit: ut nil dicam, à *Luthero* etiam *Monstri* (*Ungeheuer*) *Salisburgensis* titulō nimis, me hercle! indecore ornatum fuisse. Liberalitatis communem transiliens modum hospites, si qui nobiliores advenerant, splendidissime excepit, eaque re multum opum exhaust. De studio defendendę Religionis tum dictum est, tum postea etiam dicitur. Hoc loco istud monuisse sufficiat: *Nostrum*, ubi ad clavum Archiepiscopatūs sui sedere cępit, etsi publicis

licis ac secularibus negotiis fere totus occuparetur; tamen Archidiaëcesi suæ regendæ, Clero & Populo sibi commisso bene gubernando, corrigendo, à doctrinarum novarum contagione præservando egregiam, nec inutilem operam toto regiminis sui tempore impendisse; adeo ut boni Pastoris partibus minime defuisse censendus sit: uti *Sectione III.* clarius patebit, ubi litteraria eius monumenta expenduntur, & ora oblocutorum, *Virum* mere *politicum* atque negotiis sæcularibus unice deditum *Nostrum* facientium, obstruentur. Eximiis vero amoribus prosequabatur Capitulares suos, quibus se invicem ob humanitatem et beneficia charissimum sciebat. Ea re erecti adjecerunt animum ad vindicandam ordinis sui dignitatem adversus Cænobitas *S. Petri*, quibus ex more antiquissimo dignior in supplicationibus locus debebatur. Aiebant: exspirasse jam causam huius Indulti: nuper se Canonicos *Regulæ S. Augustini* devinctos, nec meliore conditione, quam monachos, fuisse: nunc, eductos in libertatem Ordinis Apostolici, referre corpus Ecclesiæ metropolitice; et quæ sunt alia huiusmodi. Primo lis agitata apud Archiepiscopum, quo haud obscure Capitularibus suis favente, causa, *Romam* delata. Sic anno MDXX. geminæ sententiæ pro monasterio latæ sunt: Tertia anno sequenti, iterum in monasterii favorem pronuntiatæ, liti admodum dispendiosæ finem fecit. Interim Antistes à negotiis publicis minime vacabat. Etenim *Caroli* mandata perficere studens, per tabulas publicas die 7. Ianuarii anno 1520 datas, Delegatos nominavit, qui per provincias *Austriacas* jusjurandum colligerent: qui tamen ipsi inferioris *Austriæ* Ordines refragantes invenerunt. Sabin *Carolo* ex *Hispaniis* in *Belgium* appulso obviam ivit

Matthæus, Principisque huius *Aquisgranum*, ubi Ordines Imperii convenerant, deducti coronationi ad diem 21. Octobris interfuit, & eius nomine Imperii Ordinibus de collata suprema dignitate gratias egit; ex eo tempore maiori apud *Carolus*, tum etiam *Ferdinandum* Archiducem, gratia valens.

Carolus V. imperiali sublimatum fastigio varix de rebus Imperii, tum maxime de factione *Lutheri* indies crescente tristes curæ angebant. Quare, habita cum LANGIO deliberatione, Comitibus apud *Wormatiam* habendis diem 6. Ianuarii anni MDXXI. indixit: in quibus *Matthæus* quoque noster emicuit, haud dubie præcipuus earum rerum, quæ contra *Lutherum* actæ fuerunt, administrator. Circa idem tempus *Carolus V.* fratrem suum *Ferdinandum* nostro *Cardinali* commendavit, in *Austriam* possessionis capiundæ ergo deducendum. Appulit LANGIUS *Augustam*, cuius urbis annum ei vectigal (*Reichs - Städte - Steuer*) *Cæsar* in pensionem, toto vitæ tempore percipiendam, donârat, die 18. Martii, una cum Archiduce memorato, quem inde profectus die 26. Maii *Lincium* superioris *Austriæ* urbem principem induxit; ubi nuptiæ cum *Anna* Hungarica celebratæ, quas ante sexennium *Matthæus* in regio illo conventu, de quo ad annum 1515. dictum fuit, conciliaverat. Dehinc *Noster* Archiducis consilia moderatus est tempore illo turbido, quo novas in *Austria* res factiosi moliti fuerant: et, quoniam Archidux à *Carolo* fratre Imperii *Vicarius* constitutus fuerat, plurimum negotiorum incumbebat LANGIO in crebris illis *Germaniæ* conventibus, qui publicæ quietis & Religionis causâ cogebantur; nam ut is *Maximiliano* fidissimum sese præbuit, ita et nepotibus illius omnia studia sua, consilia, vires

atque operam commodabat, adeo ut ab istis, *Carolo* nimirum & *Ferdinando*, quasi parentis loco coleretur eâdem gratiâ, autoritate etiam majore, ac fuerat apud avum. Hinc facile ei fuit, à mox nominato *Carolo* Confirmationem omnium *Privilegiorum Archiepiscopatus Salisburgensi*, in puncto *Vini ac Salis*, abs *Friderico III.* Imperatore concessorum impetrare: super qua re confectum *Instrumentum*, vide in *LUNIGII Part. spec. Cont. I. Forts. III. p. 123.* Hoc eodem anno (1521) pietas *Cardinalis* nostri erga *S. Radegundem* seu *Radianam* pulchre enituit, quâ motus in eius honorem novam Ecclesiam (antiquæ muri disjecti fuerant) prope castrum *Wellenburg* extruui, & à *Ioanne* Proepiscopo *Salisburgensi* consecrari, memoriamque rei nummo prægrandi, tum aureo tum argenteo, copiosè cuso ad posteros propagari iussit. Numismatis argentei facies una exhibet effigiem *Cardinalis* cum inscriptione: *Matthæus Card. Archiep. Salzburg. ac Epus Gurcen. MDXXI.* Altera facies spectandam dat *S. Radianam* seu *Radegundem* à duobus lupis impetitam, cum hac epigraphe: *S. Virgo Radiana † Ora pro nobis Deum.* Ita *Corbin. KHAMM ἀντίπτος (r).* Aliter Inscriptio huius nummi legitur in Libro: *Sanc-ti Augustani*, videlicet: *Matthæus Eps. Alban. Carth. Archieps. Salzburg.* et sub effigie *Nostri* ponitur annus *MDXXXVIII*; cum in priori nummo annus *MD — XXI.* ita positus sit, ut effigies *Nostri* media spectetur. Ad memoratum annum (1521) spectat etiam Inscriptio in turri campanaria Ecclesiæ *Carthaginensis* in *Hispania*, quem episcopatum *Nostro*, in præmium navatæ operæ, *Carolus* nuper adjecterat: cuius tamen possessionem

No-

(r) In *Hierarch. August. P. I. p. 255.*

Noster nunquam adivit, aut redditus ex illo unquam percepit. Est vero hæc: Anno Domini MDXXI. die XIX. Octobris inceptum est hoc Opus sub Leone X. summo Pontifice, sui pontificatus anno quarto (imo nono) Carolo Imperatore cum Ioanne matre regnantibus in Hispania, Matthæo S. Angeli Diacono Cardinali Episcopo Carthaginensi (s). Hæc itidem annò (1521) Cardinalis noster Præpositi cathedralis Augustani dignitate in favorem Marquardi de STEIN (melius de Klingenstein) Decani deceffit; uti testatur GASSARUS (t), qui huic anno illigat quoque, quod supra ad annum 1500. de novis Insignibus memoratæ Præposituræ à Cæsare impetratis monui.

LANGIUS, Lincib reverfus, res monasterii S. Petri Salisburgensis, quas valde perturbatas invenerat, anno MDXXII. in ordinem redigere studuit, Simone Abbate, Viro sui iudicii magis quam boni consilii amante, subditosque premente potius quam regente exauctorato, & Ioanne STAUPITZIO in Abbatem dato (v). Eòdem annò, cum videret, Religionem catholicam magis magisque concuti, latiusque serpere in dies malum, plures subditorum sibi Episcoporum in unum convocavit, de opportunis remediis consulturus. Unde communi consilio ad corrigendos Cleri provincialis mores vulgavit Mandatum pastorale, de quo Sectione III. nò. 5. vide. Paulo etiam ante, quam Cæsar in Hispania-

(s) V. CIACONIUM l. c. p. 304.

(t) In *Annal. Augspurg.* p. 1740. KHAMMIUS in *Hierarch. Auguß.* P. 1. p. 548. statuit: anno 1519. Marquardum factum esse Præpositum; sed placet, GASSARO fidem adjungere.

(v) De Ioanne STAUPITZIO videri præter alios Scriptores possunt FF. MEZGERI in *Hist. Salisb.* p. 537.

Hispaniam rediit, fœdus, *Suevicum* dictum, in annos undecim cum Principibus, Nobilibus & Civitatibus Imperialibus, qui in illud coiverant, renovavit; unde ei non ita multo post multum utilitatis accessit.

Per ea tempora magni Germaniam motus turbabant, *Lutheri* scriptis, novisque dogmatibus excitati. Clerus vilescere populo, potestas ecclesiastica infra civilem deprimi, Religio avita minus sapere cœperant. Ea novitate exciti *Salisburgenses* cives, tempus rati advenisse Clericorum impetium excutiendi, mordere fræna: & ad saxum, in quo jam nuper sub *Leonardo* Archiepiscopo, decessore Nostri, pedem offenderant, referre de novo annò MDXXIII. tentavère. Rei mature admonitus *Cardinalis*, & clam in *Tyrolim* profectus, coacto celeriter exercitu, cui *Leonardum de VOELS* præfecerat, castra ad *Gredingam* metatur, civibus, quid pararetur, denunciâns, ostentansque in arce catapultas, quibus librandis sacerdotem *Wilhelmum*, ob rei pyrotechnicæ peritiam valde formidandum, præesse jusserat. Oppidani non diu cunctati ad clementiam Archiepiscopi sese referentes, Legatos supplices ei obviam miserunt. Itaque Præsul, comitante *VOELSIO* et duabus militum turmis, universoque familiarium et consiliariorum ordine, civitatem habitu militari, equo sublimis & cataphractus subit, manu scipionem imperatorium gestans: volens hoc modo Principis speciem objicere civibus, ut Clericum contemneredidicerent. Sic rectâ forum petiit, ubi Senatu Populoque in genua submisso, noxæ veniam rogante et novo jurejurando fidem obstringente, finis bello, quod vulgo *Latinum* appellabant, impositus est. *Matthæus* inde in arcem ascendit, ubi etiam-

etiamnum (*Ajunt FF. MEZGERI*) arma eius spectanda conservantur, grandem hominis staturam probantia. Rem gestam exprimit pictura, quæ in porta, *Beatæ Virginis* dicta, urbis *Augustanæ* visitur cum hoc lemmate: *Matthæus LANGIUS Patricius Augustanus Cardinalis & Archiepiscopus anno MDXXIII. Salisburgenses supplices in fidem recipit (x).*

Rebus domi pacatis *Matthæus* ad instauranda Ecclesiæ suæ privilegia animum adjecit. Ea nonnullis in locis per annos superiores labefactata fuerant intrusione Præfulum in Ecclesias suffraganeas illas, quibus dare pastorem Archiepiscoporum jus avitum erat. *Gurcensis* de potestate *Salisburgensium* pœne fuerat abstractus: tentati nonnunquam *Seccoviensis & Lavantinus*. Hanc plagam ut obduceret *Matthæus*, *Clementem VII.* recens Pontificem creatum appellavit, a quo etiam anno MDXXIV. Litteras apostolicas, malis his occursum impetravit, quas integras refert *Marcus HANSZIUS* in *Metropoli Salisburgensi*, p. 589. Habentur etiam in *LUNIGII Spicileg. ecclesiastico I. Th. Fortf.* p. 1026. Plurimum ad res Religionis in *Germania* erigendas præsidii idem Pontifex in *Matthæo* ponebat. Quare cum sub tempus vernum dicti anni 1524. *Conventus Norimbergensis* immineret, excitavit eum Pontifex, ut industriam suam cum *Laurentio CAMPEGIO* Legato Apostolico conjungeret. Sed in eo Conventu ob voluntates, Principum variis studiis, inter se discrepantes nihil ex usu confectum est, nisi quod observatio *Edicti Wormatiensis* languide fanciebatur. Idem tamen *Matthæus* cum *Archiduce Ferdinando*, *Campegio*, aliisque

(x) V. *KHAMM* in *Hierarchia August.* P. II. p. 276.

que Principibus , quorum sincerius erat in rem catholicam studium , *Ratisbonæ* convenit circa Festum *S. Ioannis Baptistæ* eiusdem anni , ubi fædus inter se fecerunt die 6. Iulii , ac nonnulla saluberrima decreta pro executione *Wormatiensis* Edicti , & rituum pristinorum conservatione. Inter alia statutum : uti certi homines deligerentur , qui per provinciam studiose omnia pervestigent , veluti Inquisitores : fontes custodiæ mandentur & puniantur : si quid forte motuum ac seditionum inde in cuiuspiam finibus nasceretur , subsidio reliqui sint , opemque alter alteri ferant. Huius rei primus periculum fecit *Matthæus* enormem propterea seditionem passus , ut mox dicetur. Ad bellum præterea , quod inter *Sigismundum* *Poloniæ* regem , & *Albertum Brandenburgicum* , *Prutenorum* Equitum Magistrum repullulascere cœperat , restinguedum *Cardinalis* nostri opera à *Clemente* quæsitæ.

Annò MDXXV. novo conatu ostendit LANGIUS , quantopere animarum sibi creditarum salutem in votis haberet , dum veterem Religionem luculentiori molimine tuiturus , & Novatorum audaciam validiori ratione oppressurus , *Synodum dioecesanam* celebrare constituit : cuius *convocationem* , pro die 7. Aprilis dicti anni decretam , in Archivio Consistorii *Salisburgensis* asservari : at *Synodum* istam interlabentibus novis discordiis , & rebellione subditorum exorta omisissam fuisse monet *Florianus DALHAM* in *Conciliis Salisburg.* p. 287. Hiic nimirum temporibus exortum , *Bellum Rusticanum* , quod *Germaniæ* oras cædibus , rapinis , crudelitibus replerat , etiam in ditionem *Salisburgensem* perrepsit. Erat sacerdos quidam , ex Novatorum doctrina publice concionatus. Hunc *Archiepiscopus* debitâ poenâ coercere statuerat : sed , dum
perpe-

perpetuæ custodiæ *Miterfilii* mancipandus ducitur, eum temulenta rusticorum turba è satellitum, petûs caussa in hospitio divertentium, manibus eripuit, coryphæum agente *Stoekelio* quodam, qui subin comprehensus audaciæ pœnam capite luit. Ea re in furorem acti agricolæ ad arma concurrant, præfulémque, qui cum Canonicis & universa Aula in arcem confugerat, toto trimestri obsidione premunt (*). Interim, mittente *Ferdinando* Archiduce, in auxilium obsessi advenerat *Dietrichsteinus* cum quinque millibus, & *Schlamingam*, repulsus primo, factò maiori impetu occupat, rebellibus ad *Radstadium* confidentibus. Verùm *Schlamingenses* perfidi, facta cum *Radstadiensibus* collusione, diem constituunt, quò incautum militem noctu aggrediantur. Cessit ex sententia dolus, quamplurimis aut cæsis aut captis. Sic *Dietrichsteinii* copiis disjèctis *Cardinalis* Ducem *Boiorum Guilielmum* invocat, cuius nutu *Ludovicus* eius frater octo millia armatorum adduxit. Verum cum rustici montium latebris muniti persistenter, præter leves velitationes nihil actum. Tentatis tamen ferocientium animis res eo successit, ut *Ludovico*, quâ arbitro, pacis faciundæ potestatem concederent; quæ inter seditiosos & *Matthæum* in has leges conclusa: *Antesignani traderentur ad supplicium; belli vero sumptus 114000.* (vel, ut alii volunt, 14000. duntaxat) *florenis pensarentur.*

Sed

(*) Huius obsidionis narrationem *Ægidius* *REMUS* (non *Ramus*) is ipse, de quo in *Alphabeto* l. huius mæx *Bibliothecæ* egi, *Matthæo* nostro à *Consiliis arcanioribus*; testis oculatus & malorum *Archiepiscopi* sui confors reliquit, quam habes ex manuscripto editam apud *Mars.* *MANSIZIUM*, l. c. p. 605.

Sed haud diu pactis stetit rusticum vulgus. Namque *Ludovico*, antequam pactio executioni mandata, & rebellium duces comprehensi fuerant, cum exercitu domum revertente, rebellio anno MDXXXVI. acrius recruduit, rusticis fervare promissa & tradere tumultuum auctores renuentibus. Sic novæ cædes, novæ rapinæ, nova incendia agebantur; donec rebelles adventantibus undique ex *Suevia* & *Styria* novis suppetiis circumventi arma abjicere, pacemque petere cœperunt. Hoc modo, reis aut subactis, aut capitali pœna affectis, aut proscriptis funesta denique rebellio cessavit (y). Atque hac ratione Religionis integritati per provinciam sibi subditam cavît *Matthæus* noster, laudatus ob id à *Carolo CARAFA* Nuntio Apostolico in *Germania restitaurata*: et ab *Henningo PYRGALLO* inter *Viros illustres, catholicas veritates eo turbulentissimo tempore afferentes*, jure meritissimo connumeratus. Plura in hanc rem haud dubie invenire poterit *Lector* in *Io. Bapt. de GASPARIS* Libello: *Archiepiscoporum Salisburgensium Res ad usque Westphalicos Conventus in Lutheranismum gesta.* in 8^o. 1779. quem, dum hæc scribo, ad manus habere non licuit. Quomodo autem idem *Archi-Præsul ærario*, his turbis exhausto, prospexerit, disces à *FF. MEZGERIS* in *Historia Salisburgensi*, et à *Fr. DUCKHERO* in *Historie von Salzburg*.

Quietiori posthæc tempore usus *Cardinalis* operibus domesticis sese dedit, quibus civitatem et provinciam exornavit. *Ecclesiam Salisburgensem* multis cumulavit muneribus. *Aulam archiepiscopalem*, quam teste *Christoph. JORDANO*, nisi bella
civi-

(y) Fusius hæc omnia exsequuntur *FF. MEZGERI*, & *Marc. HANSZIVS* II. cc. & *Franc. DUCKHERUS* in *Chronick von Salzburg*.

civilia obstitissent, ex integro novam construere ad exemplar ab artifice quodam delineatum statuerat, et *Arce* ædificiis, propugnaculis, cisternaque noviter exstructa auxit. Sub Arce vineam adornavit & hortum raris arboribus confitum. Viam, quæ per *Clam* (Sic locus in Alpibus indigitatur) ad *Gasteinium* ducit: itenique à *Dauisweg* in *Lungovia* usque *Ramingstein* (z) magnis sumptibus struxit, domi inde forisque nomen magnum, et singularem apud alios Principes auctoritatem nactus. Neque tamen hæc obstiterunt, quin etiam spiritualibus, et animarum sibi conceditarum bono curarum partem impenderet *Matthæus*. Namque anno MDXXVII. *Decretum* emisit ad parochos, quo illis præcepit, qui in *Hallein*, *Tittmoning*, *Lauffen* & *Radstadt* curam animarum gerebant: *sedulam navarent operam, ut populus depromptis e sacra Scriptura & Traditione locis opportune edocetur, falsorum Prophetarum agnoscere offuscias, easque toto animo detestari. Sensit quippe Pastor sagacissimus, in eiusmodi causis rectam institutionem esse poenis ipsis efficaciorē, et Episcopo digniorem;* uti observat *Florianus DALHAM l. c.*

Conscripserat in annum MDXXVIII. *Carolus V.* Comitia mense Aprili *Ratisbonæ* habenda, ut remedia ad uniendos in Religione animos, et adversus Turcarum impetus invenirentur. Sed celebrari *Conventus* ille non poterat, quia *Electores Saxonie & Landgravius Hassie* bellum in *Germania* movebant, decepti ab *Ottone PACKIO*, *Georgii Ducis* Vicecancellario. Insignis impostor iste ausu tum infan- imaxime, tum maxime nefario confinxerat *Foederis* contra
ill s

(z) Sic testatur *Chr. stoph. JORDANUS* in *Chronica*, ubi ædificia recenset, quæ *Noster* molitus est.

Bibl. August. Alph. V. E

illos à Catholicis initi Instrumentum, eiusque exemplar, Heri sui sigillo roboratum, duobus istis Principibus obtulerat, quasi *Vratislaviæ* anno 1527. 12. die Maii percussi. In hoc LANGIUS quoque nominabatur, qui impactam calumniam *Litteris* ad Regimentum Imperii datis à se depulit, negans: se aut *Vratislaviæ* fuisse, aut suos ibi Legatos habuisse. Vide SECKENDORFII *Histor. Lutheranis. L. II. p. 94. seqq.* ubi hæc prolixè narantur omnia.

Annus MDXXIX. novos pro Ecclesia et Imperio labores *Nostro* attulit. Acta *Spiræ* belli *Turcici* metu Comitata, quibus *Noster* post Electores primus assedit; uti videre est apud *Goldastum*, T. II. *Constitut. Imperial.* Eodem anno obfessa per Barbaros *Vienna* quartam partem bonorum ecclesiasticorum in belli subsidium conferri fecit.

Sed jam multo celebriora, totòque orbe *Europæo* famigerata Comitata me vocant, puta, *Augustana* anni MDXXX. quibus *Noster* interfuit, & in quibus Cæsari *Formula Fidei Lutherana*, vulgo *Confessio Augustana* oblata est. De hac quum litigaretur inter partes, quærereturque modus *Concordiæ*, nec inveniretur, demum de conficiendo Comitiorum Decreto deliberatum est, ad quam deliberationem cum *Alberto Moguntino*, Electore *Brandenburgico*, Episcopis *Argentinenfi* & *Spirensi*, præterea *Georgio Saxonix*, *Guilielmo Bavarix*, *Henrico Brunsvicensi* Ducibus LANGIUS *noster* delectus fuit. Itaque decretum est firmiter: in antiqua Religione perseverandum esse, nec novandum quidquam ante *Concilii* definitionem; idque 23. Septembris in pleno Principum confessu lectum promulgatumque est. Ei decreto uti suus constaret vigor, constitutum die 26. Novembris

Catho-

atholicorum inter se fœdus, cui et *Matthæus* nomen suum dedit, adversus obstinatos, si quid ullo moliri pergerent, aut quæ jubebantur, in ingrum restituere detrectarent. In eodem Contentu mota per episcopos illos, qui prædia fonsque in terris *Austriacis* habebant, uti *Salisurgensis* &c. &c. controversia de duplicatis *Indicombus*, quibus ipsorum vectigales, & coloni preerentur: primum cogi, pensiones facere pro censuum Imperialium in matricula *Imperii* præriptorum, ac rursus alias in terris *Austriacis*, ut de summa bonorum obligentur *Imperio*, et erum ratione partis per *Austriacos* exhauriantur. e disceptata visum æquitati congruere, ne quis eminum ferre cogatur onus, ne qui ad ratios *Imperii* contribuerent, traherentur ad aliud uid uspiam pendendum. Sed hæc assensio haud iustitit, refragantibus Ordinibus *Austriacis*, denumque *Ferdinandum* regem inducentibus, ut concessam immunitatem revocaret. Hæc de Comitibus *Iugustanis*. — Quibus aliis, quæ per ea tempora in *Imperio* crebrò cogebantur, Comitibus adfuerit *Matthæus*, incompertum; sane vix dubium, quin in lerisque præfens fuerit.

Anno MDXXXIV. *Cardinalis* noster electioni *Pauli III.* interfuit, uti testatum reliquit *Ciacorius* in *Vitis Pontif.* p. 533. ubi eum Conclavi, uo *Paulus III.* Papa creatus est, infuisse monet. Quæ caussa fuerit *Matthæo* veniendi *Romam* (nam ante *Clementis VII.* obitum eo profectus fuisse videtur) non obscure innuit *Erasmus Roterodamus* in Epistola ad *Petrum Curtium*; ex qua discimus, id venisse *Nostrum*, ut (haud dubie nomine *Ferdinandi* Regis, *Carolique* Cæsaris) Papam ad Concilium generale convocandum hortaretur; quippe

hæc una putabatur ratio suppetere controversias Religionis in *Germania* componendi, concordiamque christianam postliminio revocandi.

Quomodocunque istud sese habeat, *Romanum* hoc iter novum *Nostro* honoris incrementum contulit; dum anno MDXXXV. a mox dicto *Paulo III.* ad Ecclesiam *Albanensem* translatus, vel potius (ut credibile fit per ea, quæ ad calcem huius *Vitæ* afferam) in eius Ecclesiæ possessionem missus est, *Cardinalis Episcopus* factus. Hoc itidem anno *Matthæus*, ut controversiam de *duplicatis Indictionibus*, quarum modo memini, aliasque similes componeret, *Transactionem* cum rege *Ferdinando* fecit, datam *Viennæ* ad diem 25. Octobris: quam videre est apud LUNIGIUM *P. Spec. Cont. I. Forts. I. Abs. IV. p. 54.* DU MONTIUM *Corps diplomatique, T. IV. P. II. p. 128.* & apud Marc. HANSIZIUM in *Metropoli Salisburgensi*, p. 601. sed *latine*.

Similiter anno sequenti MDXXXVI. varias *Carinthiæ* Ordines, inter, et Archiepiscopatum *Salisburgensem* obortas controversias amica compositione per Legatos sive Commissarios cæsareos e medio tollere allaboravit. Instrumenta, hoc anno, diebus 26. & 27. Augusti desuper confecta habes in Lunigio *P. Spec. Cont. I. Forts. I. Abs. IV. p. 182. & 184.* & in DU MONTIO *Corps diplomatique, T. IV. P. II. p. 139. 140.*

Interea per *Germaniæ* oras Religionis dissidia ita invulnerant, ut, quidquid aut Cæsar *Carolus* cum *Ferdinando* fratre, aut strenui *Præsules* ad persanandas patriæ plagas conarentur, medicinæ locus haud esset. Denique res ad arma spectabat, præcipue cum novæ doctrinæ studiosi, renovato *Smalcaldico Fœdere* anam dedere *Catholicis*, ut
 ipsi

ipſi quoque manus inter ſe jungerent anno MD-XXXVII. primum *Paſſavii*, deinde *Norimbergæ*, ubi ſocietatem armorum pacti, ſunt *Matthæus* noſter cum *Moguntino*, Ducibus *Bavariæ Guilielmo* & *Ludovico*, *Georgio Saxone*, *Erico* & *Henrico Brunſvici* Ducibus. Id Fædus, quoniam pro Sacrorum deſenſione ſuſceptum fuerat, inde *ſæderis ſancti* nomen traxit: cuius tamen uſum *Matthæus* non vidit, antequam funeſtum illud bellum erumperet, & vivis ſublatus. Memoratum annum alio inſigni &, quantum pro ſuſceptæ archiepiſcopalis dignitatis officio animarum ſibi creditarum ſalutem cordi haberet, apertiffime demonſtrante factò notabilem reddidit *Cardinalis* noſter, dum ad Cleri et Sacerdotum mores in melius corrigendos: ad res Eccleſiarum ſibi ſubditarum in ordinem redigendas, ad novorum dogmatum contagionem eliminandam curas intendens, *Synodum* ampliffimam celebravit, de qua inferius *Sectione III.* ſermo reddibit. Eodem anno litem, de *Præcedentia in Conventibus Imperii*, Duces *Auſtriæ* inter & Archiepiſcopum *Salisburgenſem*, diu ventilatam finiit, declarando: ſe pro ſua Perſona, quoad viveret, *Duci Auſtriæ* deceſſurum, ſalvis tamen juribus Archiepiſcopatûs in ſecuturis Comitibus. V. Librum: *Nachrichten von Iuvavia*. 1784. in folio, pag. 498. 499.

Ad annum MDXXXIX. referenda eſt opera, quam *Noſter* in fodienda Arcis cifterna, ſuperius memorata, laudabiliter utiliterque collocavit: quod declarat Nummus ad eius rei memoriam à *Matthæo* cudi juſſus, ſequenti epigraphe: D. O. M. MATHEUS LANGG, A. WELLENBURG. EPUS. GARD. ARCHIEPS. SALZBURGEN. HANC. CISTERNAM. MAGNO. ARCIS. COMMODOG. A. FUNDAMENTIS. F. F. ANNO. A. CHRISTO. NATO. MDXXXIX.

Annum quoque MDXL, *Instrumentum Compositionis* signat, quò controversia de *Vedigalibus* &c. *Matthæum* inter, atque *Berchtolsgadensem* Præpositum *Wolfgangum* dirempta fuit: et quod exhibet *LUNIGIUS Spicil. eccles. T. II. Fortf. p. 1034.* Sed heu! cur ad hunc annum delapsa est oratio, quem *Cardinalis* noster sibi fatalem habuit. Is jam aliquanto ante obitum tempore defectione nativorum spirituum, quos infinitis ingenii contentionibus exhauserat, degeneravit penitus à semetipso, præbito de se luculento humanæ conditionis exemplo, præstantissima sui parte, qua orbem in admirationem converterat, imminutus ac pœne revolutus ad infantiam. Anno itaque memorato sub verni jejunii finem valetudine solito gravius tentatus, die *Parasceves* decubuit: sabbati sequentis occasu abs *Ioanne Rotmayr* cubiculi Magistro supremis mysteriis expiatus est: demum exeunte feria tertia *Paschæ*, intra horam decimam et undecimam nocturnam, penultimo die *Martii*, mortalis vitæ cursum absolvit., annum agens circiter secundum supra septuagesimum; cum præfuisset *insigni cum laude, singularique prudentia ac pietate Ecclesie Salisburgensi* annos viginti, menses decem: cum *Imperium, Ecclesiam, Pontifices* plures, duos maximos Imperatores *Maximilianum I. & Carolum V.* consiliis, negotiis gestis, rebus egregie patratis, omni denique studio atque opera, quadraginta annorum, & quod excurriti, spatio plurimum adjuvasset, tantum inde nominis splendorem consecutus, ut adversarii ipsi eum suspicere ac prædicare plane debeant. Corpus terræ traditum in templo metropolitano, prope aram *S. Ruperti* requiescit, imposito saxo minime superbo, nec tanti Viri meritis maximis respon-

spondente; cuius *Inscriptionem* in *Henr. PANTALEONIS Profopograph. T. III. p. 128. 129.* habemus, ubi legere est: *Salisburgi in cathedrali Ecclesia ante Chorum sepultus fuit juxta Wichardum à Polnheim, qui et ipse Archipræsul. anno 1315. ibidem collocatus erat, cum hac monumenti Inscriptione, quam ipse anno 1565. Salisburgi existens legi & huc adscripsi:*

REVERENDUS IN CHRISTO PATER ET PRINCEPS

D. MATTHÆUS LANG

CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS

APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS

ANNO MDXL. TRICESIMO MARTII

HOC LOCO TERRÆ MANDATUS EST.

Ast vel hic lapis sepulchralis, quamvis exilis & *Nostri* benefactis multum inferior, quandoquidem cathedrali Ecclesiâ, quinquaginta ab obitu *Matthæi* annis Vulcani furore in cinerés redacta, unâ interiit; haud absonum deputo, eidem *Epigramma*, quod vetusta *Nostri* effigies in Sacello *Langiano*, summæ Ecclesiæ *Augustanæ*, suspensa exhibet, surrogare (etsi illud in assignandis obtentorum dignitatum annis bis discrepet ab iis, quæ superius in *Vita* dicta sunt) ut hac saltem ex parte Lectorum meorum curiositas expleatur. Est sequens:

Matthæus Lang a Wöllenburg, e bina Patriotiorum Augustanorum familia Ioannis Lang, & Margaritæ Sulzerin, huic mundo nascitur anno 1468. — Fit ob insignes corporis, & animi dotes, morum elegantiam, ac doctrinæ præstantiam, ex Imperialis Camerae Secretario, Maximiliani I. Imperatoris Confiliarius intimus, Cancellarius, & totius Italiæ Vicarius Cæsareus. — Denuntiatur a Sede apostolica cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Præpositus anno 1501.

— *Episcopus Gurcensis anno 1505. — Denominatur à Julio II. Cardinalis Diasonus S. Angeli in foro piscium anno 1511. — Ejusdem tituli Presbyter anno 1513. — A RR^{mo}. Capitulo Salisburgenſi in Coadjutorem eligitur anno 1514. — Sacellum istud Deo T. Om. & SS. Matthæo Apost. ac Narcisso. Episcopo dicatum à fundamentis erigit prænominato anno 1514. — Episcopus Albanensis (a) creatur anno 1515. & eodem anno ad Præposituram cathedralis Ecclesiæ Constantiensis. (b) promovetur. — Archiepiscopus Salisburgenſis inauguratur anno 1519. — Carthaginensis demum Episcopus in Hispania proclamatur anno 1521. — Tandem tot tantisque dignitatibus obtentis pie moritur Salisburgi 30^{ma}. Martii anno 1540. ætatis suæ 72. et sepelitur in Cathedrali ad altare S. Ruperti.*

Hic vitæ cursus LANGIO fuit, hic exitus honorum. plenus, plenus meritorum: LANGII (inquam) cuius.

— — — manet, æternumque manebit.
*Nomen, & ingens factorum per sæcula vivet
 Gloria; dum suæ Germani: sua fata Latini:
 Dum Galli recolent: dum quos spumantibus undis
 Alluit Iſther: & arctoo sub sydere dura
 Frigore vexat hyems, gentis memorasse juvabit
 Gesta suæ* — — — — —

Seſtio

(a) Hoc quomodo cum iis, quæ in *Vita* superius ad annum 1535. dicta sunt, componi queant, non video; nisi dicamus, *Nostrum* anno 1515 Episcopum Albanensem renunciatum fuisse; sed primum anno 1535. quò Romæ egit, eius sedis possessionem cepisse: aut errorem scribæ esse.

(b) Hæc non consentiunt cum *Inscriptione* superius allata pag. 25. nisi idem sentire vells, quod de Episcopo Albanensi mox monui.

Sectio II.

Dotes Nostri.

Pulcherrimam animi faciem, dotesque *Matthæi* LANGII descripturus, haud aptiore me via procedere posse existimo, quam si *Scriptorum* tum coævorum, tum illorum quos postera ætas tulit, de eodem testimonia in medium protulero, non illa omnia; hoc enim fieri vix ullo modo potest) sed splendidiora lectoraque.

Universas *Nostri* dotes compendiò complexus *Iacobus SPIEGELIUS* Iurisconsultus (a) hoc brevi, sed significantissimo elogio, *Matthæum* exornat: *Sanctissimus Matthæus LANGIUS Episcopus Gurcensis, R. E. Cardinalis Reverendissimus, Imperatoris in Italia Proconsul præillustis, quo uno magnificentissimo sapientissimoque Principe hæc nostra ætas apud Germanos privatam nihil protulit absolutius.* SPIEGELIO consentiens *Ioachimus VADIANUS* (b) affirmat: *multa & naturæ & fortunæ, non communia cum multis, Insignia Nostro adfuisse.* *Ioannes TRITHEMIUS*, pontificum decus, eum vocat. His concinunt *Richardus BARTHOLINUS* (c) quòd usus *Capellanò* (ut aiunt) *Noster* est: *Franciscus IRENICUS* (d): *Ursinus VELIUS* Poeta: *Ioannes DARRICUS* itidem Poeta (e); quorum prior *Principem omnium mortalium ad unguem perfectissimum, absolutissimumque*: alter *Virum plene & absolute perfectionis*: tertius *Principem Diis æque, ac mor-*

E 5

ta-

(a) In *Epistola præliminari ad Quinti HÆMILIANI Cimpriaci &c. Epicædion tetracolon in Fridericum III.*

(b) In *Epistola ad Nostrum, præmissa Rich. BARTHOLINI Aufriados Libris XII.*

(c) In *Dedicatione Hodaportici sui.*

(d) In *Exegesi Germaniæ.*

(e) In *Carmine præfixo Hodaportico BARTHOLINI.*

talibus gratum: quartus Cardinei specimen decusque chori appellare non dubitarunt. Sileo Ioannem CUSPINIANUM Historicum & Oratorem celeberrimum, qui multa ac magna de LANGIO in Maximiliano suo memoriæ prodidit, præsertim quæ ipse suis oculis vidit, unaque cum illo peregit. Sileo Pierium VALERIANUM, qui Nostri in Urbem ingressum non sine multis eius laudibus Petro CRISPO, Card. Laurentii CAMPEGII Secretario, descripsit. Sileo Ianum Franciscum VITALEM: C. SYLVANUM: Ioannem PINICIANUM: Rudolphum AGRICOLAM Rhætum Hydroburgium, seu Wasserburgensem, qui carminibus Nostri laudes cecinerunt. Sileo Sebastianum WUNDERL, qui LANGIUM Vienne venientem, Universitatis nomine, disertissima Oratione, quæ typis excusa habetur, salutavit. Hæc omnia præteriens, & quæcunque genera sunt, missa faciens ad particularia descendo.

I. *Prudentiam Nostri, et in rebus tradendis dexteritatem extollit BARTHOLINUS, dum eum Virum inter mortales prudentissimum: VADIANUS, dum summa eum in civilium & ecclesiasticarum rerum traditione prudentia excelluisse testantur. Andreas de BURGO, ad annum 1510. Margaritæ Austriacæ scribens, his Nostri prudentiam effert: Dominus Gurensis est hic cum tanta reputatione Cæsaris, & ita prudenter gubernavit omnia, quod est in mirabili assimatione, & fuit adventus eius mirabiliter bonus & utilis pro Cæsare. Ioannes FABER, postquam Conciliabuli Pisani per Maximilianum I. sublato memineral, de Nostro addit: Utebatur in his Cæsar opera & industria prudentissimi ac sane omnium optimi Principis Matthæi, cuius et ingenium, & fides, atque in agendis rebus experientia tunc maxime effulsit. Eum enim se tum præstitit, quem præ ceteris*

teris mortalium ob rerum experientiam summe Iulius II. fuerit admiratus &c. In eius prudentia quantum spei reposuerint Romani, docet Pierius VALERIANUS scribens: Rati (id quod erat) Curcensem adventare, ad propugnacula prodimus; magna enim præcesserat expectatio, hominem esse hunc, qui, missus rerum arbiter à Cæsare summis de negotiis, una cum aliis magnorum regum & principum Legatis ad Iulium II. rerum cardinem eo verteret, ut modus tandem tot cædibus & excidiis, quibus per quinquennium hoc præcipue non Italia solum, sed universa Respublica christiana desolata, & magna ex parte devastata est, imponatur. Et in fine addit: Quantum ad hominis prudentiam spectat, ipse enim optime nobis (Petrus CRISPUS scilicet) quum superioribus diebus de negotiis pontificiis secum ageres &c. Ostendit autem Matthæus, quâ pollebat, prudentiam ac dexteritatem, tum in omni vita, tum maxime in congressu mox dicto: uti etiam in congressu illo regio, & conciliatione serenissimarum nuptiarum, de quibus superius in *Vita* ad annum 1515. differui. Quamobrem Richardus BARTHOLINUS sic Nostrum alloqui non dubitavit: *Et si omnibus tum Germaniæ, Pannoniæque, tum Sarmatiæ Principibus . . . vobis tamen (Cardinali Strigoniensi & Nostro) potissimum christianus orbis debere se fatetur, qui tam vigili cura, studio, labore ea pertractaveritis, quæ ad ornamentum gloriæque christiani nominis perpetuo futura videntur.* Tum ad Nostrum solum conversus subdit: *Si unquam aliàs tum in patria, tum apud externos, quanti & ingenii & sollertiæ sis, præ te tulisti (venia tuarum laudum dixerim) nullibi tamen minus prudentiæ tuæ præconium, quam in hac feliciter peracta tam ardui negotii magnitudine elucescet.*

cescet. Ergo orthodoxum jam gaudeat Imperium! exultet Christianum nomen! Quin et Leo X. summus Pontifex amplissimum prudentiæ testimonium perhibere Nostro non est dedignatus, scribens ad Maximilianum I. in hæc verba: *Posteaquam se Matthæus Cardinalis Gurcensis . . . prudens excellensque Vir, Romam se contulit, cum eo sæpius ea de re (de pace facienda) loquutus sum. Idemque Pontifex, quantum prudentiæ Nostri deferret, luculenter ostendit, dum Legato suo Ægidio Viterbiensi injunxit, ut quæ haberet ad Maximilianum I. mandata, ea omnia Nostro nota faceret, utereturque in iis tractandis, maxime omnium consilio Nostri &c.* Et quasi unius summi Pontificis testimonium non sufficeret, alter quoque accessit Paulus III. qui in *Epistola ad Nostrum* anno 1537. data, veterem eius prudentiam, itemque circumspersionem, quæ omni tempore atque omni in actione prudentiam præstulit singularem, extollit. Maximilianus Cæsar quoque publico testimonio prudentiam Nostri ornare non dubitavit, dum eundem ad Concilium Lateranense ablegans, in Mandato hac super re edito, sese in Nostri dexteritate, ingenio atque rerum gerendarum peritia plurimum confidere palam declaravit. Hæc pauca de prudentia et tractandarum rerum peritia in LANGIO sufficiant.

II. *Modestiam* eius autem quomodo pro dignitate deprædicem? *Congressus illius eiusmodi erant, ut nulla unquam oborta de loco digniore contentio sit; nullum ambitionis vestigium appareret; singularis contra humanitas versus omnes eluceret; & fere semper, ubi cum aliis Ecclesiæ proceribus incedendum erat, modestum de secundis litigium ageretur.* Apte in hanc rem narrat Pierius VALERIANUS sequentia: *Inde cum progredientes Cardinales eum (Nostrum)*
inter

inter sese medium exciperent, Cardinalibus ipse descendere, utque probatissimè est modestè, negare se locum eum occupaturum. At postea cum reluctari non potuit, ingenuam professus verecundiam, coactus est inter eos sacrosancti senatus proceres medius obsequitare. Concinit Richard. BARTHOLINUS dicens de Archiepiscopo Leonardo, Nostro, & Ludovico Bavaricæ Duce: Cum salutandi officio ultro citroque functi essent, de loco digniore grata omnibus altercatio orta est. Archiepiscopus Gurcensis (quia Cardinalis) assurgere volebat: Gurcensis, quia loco patris Archiepiscopum et veneratur & colit, contra ut ille præiret, nitentur &c. &c. Ista haud dubie modestia fecit, ut (quod ipse de se scribit) Bononiæ Iulium II. conveniens, eum efflictim rogârit, ut is paratas sibi, quâ Legato, excipiendis cærimonias ommitteret, & confestim ad res ipsas pertractandas aggredi dignaretur. Ista haud dubie modestia fecit, ut à Iulio II. honore cardinalitio ornatus, eius tamen dignitatis insignibus uti noluerit, eaque, Urbem Legatus Cæsaris ingrediens, jubente demum Leone X propemodum coactus sumpserit. Ista dein modestia fecit, ut, quum à parvis ad summa ascendisset, omnem tamen invidiam superarit, atque in eo gratiæ palatinæ fastigio (quod oppido infrequens) maximam in vultu, moribus, habitu, omnibusque actionibus moderationem servavit. Nil per insolentiam facere solebat; nihil in quemquam præter fas sibi licere putabat; quin de omnibus, ut passim memoriæ prodiderunt, *infimis pariter ac summis bene mereri* studebat: quo factum, ut apud vulgum æque ac principes in amoribus esset: & quoties peregre advenisset, ingentibus hominum concursibus, & insolitis officiis acciperetur.

III. Quid de comitate et oris dignitate, qua *Noster* effulsit, dicam? *Pacatissimo* adversus obvios, vultu nunquam sibi in urbanitatis officiis præstandis satisfacerebat, adeo ut mortalium omnium elegantissimum nuncupare BARTHSLINUS non dubitârit. Hac comitate factum est, ut *Noster* nonnunquam in coetu Principum (uti tum mores Germania ferebant) ad choreas descenderet amicorum invitatione jam Cardinalis; adeo tamen pudice, adeo graviter, ut, eodem BARTHOLINO Familiari teste, etsi divini vultus gravitatem seponere aliquantisper conaretur, tamen vel invito ipsa oris dignitas augetetur: quæ, cum gratia quadam et singulari mansuetudinis specie conjuncta, mirificam contuentium oculis voluptatem afferebat. At erunt fortasse nonnulli, qui BARTHOLINO ista nimis adulandi studio excidisse dicant. Quamobrem duos alios testes in medium producam, contra quos exceptio fieri nulla ratione poterit. De humanitate *Nostri* luculentissime testatur *Conr. PEUTINGERUS*, popularis, eique amicissimus, in *Sermonibus convivialibus*, hæc verbis: *Accedit singularis tua illa bonarum litterarum eruditio, atque humanitas, ubi circa te fortuna mutavit nihil. Neque enim (ut fere solent) quidquam superbe tumideve, nihil denique cupide et libi inose agis; sed omnes ad te ingredientibus benevolentissime excipis, comitaris, prope eos subsistis, quin et occurris omnibus. Hæremus lateri tuo, quique accedimus: eos inter medius, etsi emines, quasi tibi pares, effemus, concedis.* De oris dignitate vero in *Nostro* scribit *Pierius VALERIANUS*: *Nos, hominis effigiem non sine voluptate cominus ex proxima fenestra contemplati, omnes corporis dignitatem mirifice commendabamus: mansuetudinem atque prudentiam, quam oculis & fronte præferebat, nunquam*
jacis

fatis admirati sumus. Dexteri omnibus oculi saliebant, dum tuendo expleri nequimus. Subdit idem: Romani ex prima facie magnum quid & omnibus æque commodum augurabantur, spemque et expectationem tranquillitatis Italiæ omnes optimam ex eo conceperant.

IV. Quanquam autem comem se omnibus, affabilemque et urbanum præbuerit, tamen miræ animo eius *constantia* adfuit; adeo, ut sicubi rem probe deliberaverat, a suscepto consilio dimoveri nulla ratione potuerit. Proveniebat hæc sententiæ obfirmatio ex eo, quod nihil temere agebat, sed enim prævia gravi deliberatione, & maturo consilio. Verterant hanc animi firmitatem ei nonnulli in vitium; sed recte tuetur BARTHOLINUS dicens: LANGIUM *in uno damnari sentio, quod ego maxime laudo, & fidei in Cæsarem non vixgari attribuo. Vulgo enim fertur, caussis cæsareanis ita firmiter inhærere, ut quod senel dixit, nihil præterea extorqueri possit, quanquam omni studio, opera, industria:*

V. Huius constantiæ fons et origo fuisse censenda est *æquabilitas animi*, quâ *Noster* in capefendis consilijs utebatur. Ubi enim ad deliberandum accessit, id in neutram partem propendente animo, voluntate suspensa nec præjudicatâ quâdam sententiâ, in hanc potius quam illam partem inclinata, fecit. Hinc non iræ, non odio, non cupidini, non timori locum dabat; a quæstu autem sordido, & utilitatis propriæ damnabili studio (ut erat excelso & sublimi animo) quam maxime abhorrebat.

VI. Adjuvit has dotes plurimum *solertia* incredibilis; nam erat animo in id, quod deliberaverat, adeo intento, ut nihil industriæ reliquum faceret.

ceret, dubiumque esset, an plus ingenio ad consilia, an ad efficiendum sollertibus polleret. Augustum huius dotis testimonium Nostro perhibuit Maximilianus Cæsar, „qui Nobilibus exoptulantibus, quod in „omnibus officiis & actionibus potissimum opera „hominis plebei & sacerdotis (LANGII) uteretur, „respondisse dicitur: *Cur vos non facitis, quos decebat has partes suscipere et tueri? Mihi opus est „homine industrio et sedulo, per quem negotia mea „expediam. At vos desugitis hæc officia. Ideo Scriba „hic mihi deligendus fuit, qui labores aulicos susstineat. Equites ego facile creare possum; sed viros „idoneos ad gubernationem, & tolerantes laborum „& onerum Imperii non possum creare*“ Certe mirum erat, eundem, quum summa quæque curaret, sufficere tamen ad res etiam minutas, curiosum in omnibus; uti rursus BARTHOLINUS ait. Hoc modo idem civilia: idem bellica, idem sacra pariter ac profana, idem non imperitius festiva et genialia, quam seria administrabat, dexteritate in omnibus tam egregia, ut non minus eleganter instrueret convivium, quo sæpius Principes excipiebat, quam de rebus maximi momenti differeret: etiam cum recreationibus indulgeret, de rebus arduis conferre, disputare, & feliciter statuere solitus; uti testatur Valent. ROTMAREUS.

VII. Fuit præterea admirabili corporis patientia, quâ labores, incommoda, vigilias, pericula omnia contempsit. Heus! quantos terra et aquis labores exantlavit? Quoties, ut BARTHOLINUS de quo monet, Italiam, Galliam, Germaniam, Belgium, Pannoniam metiens, remetienique æstuavit et alsis?

VIII. Neque defuit Nostro liberalitas, qua maxime Viri summates commendantur; nam cum ab avari-

avaritia plane alienus esset, haud validius vinculum, quo animos hominum obstringeret, sibi præstito esse credebat, quam munificentiam et hospitalitatem : videbaturque eo fine gerere dignitates, ut earum labores ad ipsum, redditus ad alios pertinerent. Neque vero tam usurpabat occasiones benefaciendi oblatas, quam ipsas tardantes ultro captabat. Inde nata hospitalitas eius admirabilis, qua quemvis hospitem nobilioris notæ *Salisburgum* venientem (sive Clericus is esset, sive Laicus) ad se invitavit, dato cauponibus tabernariis mandato, ut si quis eiusmodi advenisset, id sibi quantocyus indicarent; quò ad se vocatum in palatio exciperet. Hac indole cum esset, nihil mirum, nunquam eum sine multo numero clientum et nobilissimorum hominum stipantium incessisse, nunquam sine eiusmodi comitatu itinera fecisse. Ista deinde *Nostri* liberalitas præcipue ad Viros litteratos, quo non aliud hominum genus magis is in pretio habebat, pertinuit (Sed de hoc infra *Sectione III.* videbimus) Hæc denique munificentia, splendidæ cuidam magnificentia conjuncta, in causa fuit, ut, *Nostro* sumptibus minime parcente, *Maximilianus* Cæsar aliquando suis diceret : „duos esse „sibi Capellanos, unum (*Leonardum*, Archiepiscopum puta & decessorem *Nostri*) quem evacuare: „alterum (videlicet *Nostrum*) quem exsatiare non „posset“.

IX. Tot tantisque dotibus coronidem imposuit *probitas vitæ, morumque integritas*, quâ factum est, ut *quam in tanta versaretur orbis luce, intentis omnium in eum oculis : quumque cum omnium hominum genere, sequioris etiam (ut in vita aulica assolet) sextis conversari debuerit : tamen integrâ semper famâ esset, eaque gravitate nominis, ut ei ne suspicio*
Bibl. August. Alph. V. F qui-

quidem deterior adhæserit. Unde *Florimundus* ROBERTETUS de eo, dum in aula regis Galliarum fuit, ad annum 1511. scribens, testatur: *Sieur de Gurce s' est si bien & vertueusement porté jusqu' ici, qu'il en sera à jamais loué & estimé . . .* Certe innocentiae eius vel hoc invictum, instar omnium, est argumentum, quod, cum tam multi de illo scripserint, nemo aliquis ei labem ullam dedecoris aut vitii sit ausus impingere; unum alterumve si excipias, qui de Nostro sinistre scripserunt: et ad quos refutandos pergo, silentio studiose prætermittens, quæ ad pietatis commendationem in Nostro spectant: de quibus, etsi materies dicendi (*) minime deesset, hõc locõ, utpote in *Opere litterario*, dicere non attinet.

Licet *Cardinalis* noster plurimis iisque præclarissimis dotibus (quod vidimus) enituerit, tamen quorundam Scriptorum effugere censuram nequivit. Hos inter est GUICCIARDINUS (f) accusans eum, ac si in Legatione cæsarea anno 1511. ad *Iulium II.* obita haud parum fastûs & superbiae prodidisset. GUICCIARDINO concinit UGHELLUS (g) dicens: *Hic est ille Cardinalis Gurcensis, ob prudentiae exactissima momenta celebris apud omnes, Confiliarius Maximiliani Imperatoris, ejusdemque in Italia vicesgerens, qua etiam dignitate in Germania, Pannonia, Poloniaque perfunctus est: cuius exaggeratis*

(*) De pietate *Nostri* memorat nonnulla *Christoph. IORDANUS* in *Chronica*; &, haud dubie ex eo, HANSIZIUS. Pietatem eius laudat etiam *Paulus III.* in *Epistola* inferius afferenda.

(f) In *Hist. Ital.*

(g) In *Italia sacra* inter *Episcopos Albanenses*. T. I. p. 272. Contentit, sed malè, etiam BEMBUS in *Hist. Venet.* L. XI. p. 457.

illis virtutibus si moderatio quædam civilis adfuis-
set, gratior effulisset apud omnis ordinis homines;
modo vero cum adeo elati animi esset, ut regis
obsequiis sese colendum arbitraretur, Romanam au-
lam in iis præstandis officiis duriores expertus est.
Multo ineptiora sunt, quæ Ludovicus MORERIUS
(h) de Nostro scripsit: eum nec habitu nec moribus
virum ecclesiasticum prætulisse: in itinere Hunga-
rico solennes choreas (ut fama ferebat) in gratiam
nobilium sæminarum instruxisse: nil antiquius habuis-
se, quam ut potestatis & magnificentiæ suæ documen-
ta publica daret: morte Maximiliani Cæsaris am-
bitionem eius, existimationemque omnem esse accisam.

Belle hæc omnia refellit Marcus HANSIZIUS (i)
scribens: Ut pronum est accusari quæquam eius vi-
tium, cuius materiam copiamque fortuna præbuerit,
quod perdifficile sit stateram, cum possis, nunquam
excedere: sic in promptu est, viris honoratis impu-
tari superbiam, & exigentibus quandoque pro officio,
quod gerunt, honorem debitum, elati animi vitium
impingere. Quid quod ex uno nonnunquam actu,
præsertim in Viris illustribus, de toto animi habitu
statuatur, & famæ malignitate agente labes ex parte
transferatur ad universum. Sic parum verecunde
MORERIUS, homo Gallus, generatim pronunciat:
„fuisse hominem vanum, ambitiosum, inanis gloriæ
„cupidum, parumque ecclesiasticum“. Nempe libido
est nonnullorum ex livore genita, eum, quem præ-
dicari præter solitum audierint, quærere, quomodo
obfuscent. Et denique plus est, quam ferat huma-
na conditio, palato satisfacere omnium. Quam pro-
num autem, Legationem nomine Cæsaris obeun-
ti, majestatemque imperatoriam Italici obicere cupien-

F. 2.

ti, .

(h) In Dictionnaire historique.

(i) In Metropoli Salisburgenfi. p. 568. 572.

ti, ut *Italorum aut Gallorum*, nonnemini videretur fastuosus? Atque adeo, si quid etiam immodice videtur ambivisse, id non hominis ingenio, sed studio tuendæ dignitatis cæsareæ, cuius personam referebat, adsignandum. Imperitum sane est, si quis *Legatis Principum succenseat*, eos petere nonnunquam (ut dicitur) iniquum, ut tanto certius obtineant æquum; quos constat sæpe magnitudinem Principis ostentare velle, immodica petendo.

Sunt et alii *Scriptores*, qui *Nostrum* cavillari non erubuerunt. *Georg. SPALATINUS* in *Annalibus* (inter *MENCKENII* *Scriptores*) & in *Diario* (inter *I. G. SCHELHORNII* *Amænit. litter T. IV. p. 411.*) nonnulla adversus eum attulit nobis plane negligenda. Similiter *SECKENDORFIUS* in *Histor. Lutheranis.* ac *I. D. KHOELERUS* in *Libro: Münz-Belustigung, T. IV. p. 25. seqq.* hinc inde minus honorifica de eodem proposuerunt; & si qui sunt alii. Sed quid hos longius morer, cum omnes per ea, quæ superius præmissa sunt, quasi in antecessum, solide confutati sint. Atque ut, quod mecum cogitans sentio, eloquar; insignis imprudentiæ adfinem se facit, qui in *Viris maximis* potius ad ea, quæ hic vel ille privatus morosius scripsit, aut incertos ac malevolos rumores, & sublestissimæ fidei narrationes sequens retulit addito frivolo illo verbo: *Dicitur, Fertur, Aiunt*; quam ad communem synchronorum & posterorum in laudando consensum, publicamque famam attendere maluerit. Injustus deinde fuerit, qui, factis eorundem illustrissimis insuper habitis, nævos indagando venetur, placens sibi, si quos invenisse se credat.

LANGIO a vitiis, quæ *Scriptores* aliqui ei temere objecerant, purgatô stylum ad encomia, qui-

quibus abs Scriptoribus seculoris ætatis plurimum exornatus est, vertere oportet. Verùm cum horum numerus iniri vix queat, satis habebò (ne nimium excurrat oratio) paucorum aliquot testimonia, sed ea insigniora depromere. *Alphonsus CIACONIUS* (k) de *Nostrò* testatur: Fuit *Vir singularis prudentiæ & doctrinæ, magnificus, beneficus & hospitalis . . . & proterea apud omnes Germaniæ Principes, præsertim apud Maximilianum, cuius intercessione Salisburgensis Archiepiscopus renuntiatus est, magna valuit auctoritate.* Prolixum *Nostrò* encomium scripsit *Valentinus ROTMAREUS* in *Annal. Acad. Ingolstadt. T. I. p. 27.* inter alia dicens: *Heros magnificus fuisse dicitur, vir singularis prudentiæ, animi excelsi, ingenii rotundi, in rebus agendis dexterrimus &c. &c. Henricus PANTALFEO* (l) sequenti *Nostrum* encomio ornare non intermisit: *Hic felici ingenio præditus litteris operam dedit, & in Virum maximum apud Germanos evasit. Erat enim multis virtutibus & singulari dexteritate in rebus perficiendis præditus. Itaque Maximilianus Cæsar eum plurimum dilexit, in consilium adscivit, atque res maximas, præsertim in Italia, expedire iussit. . . . In eo loco (Salisburgi) magna auctoritate præfuit per 21. annos: atque Carolo Cæsari & Ferdinando Regi gratissimus extitit; nam 1519. anno, cum Electores Francofurti convenissent, Caroli Legatus existens pro eo Imperium petiit & impetravit. . . . Eam auctoritatem postea conservavit, & in Comitibus, quæ voluit, impetravit. Erat Matthæus procero corpore, & facie honesta; verum macilentia insignis. Cum autem laboribus & annis exhaustus esset, tandem 1540. obiit.* *Iustus REUBERUS* in *Script. Rer.*

F 3

p. 1102.

(k) In *Vit. Pontif. T. III. p. 300.*(l) In *Prosopograph. T. III. p. 128.*

p. 1102. *inclytæ virtutis, magnæque in rebus Imperii publicis tum prudentiæ tum autoritatis Principem vocat. Georgius Iosephus Eggs (m) in Cardinale nostro insignes corporis ac animi dotes, morum elegantiam, doctrinæ præstantiam, senatoriam prudentiam collaudat: et postquam superius allata MORERII convicia in Nostrum retulisset, subdit: Sed livida MORERII in Germanum Principem crisis tanti non est, ut multis in contrarium productis testimoniis refelli debeat. Omnium Scriptorum calamis celebratus LANGIUS, inque cælum usque elatus altior est, quam ut à privati hominis Galli (Adde: aut Germani, aut Itali) lingua tangi obfuscarique queat. Editor Epistolarum Ludovici XII. Regis Galliarum (*Lettres du Roi Louis XII. Esc. Bruxelles. 1712.*) sequentia de Nostrò affert: *Matthieu LANG... étoit un homme toujours agissant, également propre à la guerre & aux négociations. Quoiqu' Ambassadeur de l'Empereur Maximilien I. le Roi Louis XII. ne laissoit pas de lui confier ses plus importants affaires. L' Affection, qu' il avoit pour son Maître, lui fit refuser le chapeau de Cardinal dans un temps, où il ne pouvoit l' accepter sans nuire aux affaires, dont il étoit chargé. Le portrait, qui le represente comme un Gendarme (Vide *Imagines verissimas Imperatorum Esc. Oeniponti, 1601. editas*) armé de toutes pieces, l' épée au côté, la croix archiepiscopale à une main, une massue dans l' autre, la mitre en teste, la chape rebrassée au dessus des coudes, et un casque à ses pieds, marque son caractère beaucoup mieux, qu' on ne pourroit faire. Ioannes Christoph. WENDLERUS (n) eum inter claros**

(m) In *Purpura docta.*

(n) In *Dissertat. II. de Merit. Reipubl. August. p. 39.*
Simi-

eologos *Augustanos*, Romanis sacris addic-
 imo loco reponit dicens: *Iis temporibus*,
universa tantum non Europa ignorantia te-
uccumbere, litteræque tam sacræ quam pro-
ve orbe proscriptæ videbantur, Augusta nostra
Matthæum LANGIUM... Nummum quen-
Nostro cusum exhibent Auctores der Ham-
ien historischen Remarquen anno 1704. p. 4-8.
tiam vero eius politicam Scriptores coævi pas-
tebrant, Ioannes CUSPINIANUS inprimis in
congressus Maximiliani & trium Regum, nec
Richardus BARTHOLINUS. Quid alios Scrip-
 inumeros commemorem, & encomia cumu-
 ongius sim, præsertim cum omnium instar
 osit *Marci HANSIZII*, quod sequitur, te-
 um & laudum *Nostri* brevis summa: „A-
 us initiis evasit ad summa, ingenio acer-
 amplitudine doctrinæ, prudentiâ, probitate
 incredibile in aggrendis premendisque
 iis solertiâ, tum eloquentiâ singulari, præterea
 ate morum, æquitate, beneficiâ; quibus,
 ae virtutibus apud summos æquè ac infir-
 manus habebatur: præcipue *Maximiliano*
 ti gratus & familiaris, ac planè *Thefeus*,
 nus eius dextera; nam consiliorum ejus om-
 moderator idem erat, & effector, tantâ fi-
 prudentiâ, auctoritate; ut nihil penè magna-
 rerum nisi per ipsum Cæsar aut deliberaret,
 aceret. Hunc *Italiæ* primùm *Vicarium*, seu
 vocabant) *Locumtenentem*; hunc militiæ Præ-
 ; hunc in *Galliam*, *Italiam*, *Poloniam*, ad

F 4

„Ger-

er claris sæculi *XVI*, Theologis annumerat *Io. Andr.*
 xus in Libro: *Abriss einer allgemeinen Historie*
lehrtheit. T. III. p. 390. & *ERBERUS* in *Theatro*
erudit. p. 29.

„*Germaniæ* Principes Legatum habuit; per hunc
 „bella, paces, fœdera, nuptias, conventus, & quid-
 „quid erat regionum munerum, tractavit, adeo
 „feliciter, ut, quidquid fere aggredereur, efficeret.

„Celeberrimum fœdus *Cameracense* inter Cæ-
 „sarem, *Ludovicum* Regem *Galliæ*, & *Iulium II.*
 „Pontificem contra *Venetos* ipse fabricavit. Dein
 „pacem *Italiæ* restituit. *Maximilianum Sforziam*
 „in ducatum *Mediolanensem* reduxit. Ipse mag-
 „nificum illud consilium expeditionis generalis in-
 „*Turcas* delineavit, quo conceptum erat, *Chri-*
 „*stiani* nominis hostem è partibus invadendum tri-
 „bus: *Cæsar* per *Hungariam* cum Germanis, *Hun-*
 „*garis*, *Polonis Bosniam, Mæsiam, Thraciam* in-
 „vaderet, *Constantinopolim* terrâ cingeret: *Galli-*
 „cum *Italis, Venetis, Helvetis* mari trajicerent
 „in *Græciam*: *Papa* cum *Hispanis, Lusitanis, Ang-*
 „*lis* classem emitteret ad *Constantinopolim* parte ma-
 „ritimâ oppugnandam; cuius expeditionis ideam
 „*Cæsar* adeo alte descripserat animo, adeoque in
 „votis habebat, ut nihil crebrius seu agitare con-
 „siliis, seu sermonibus usurparet; eoque spectabat
 „fœdus & affinitas, quam cum *Hungariæ, Polo-*
 „*niæque* Regibus anno 1515 memorabili apparatu
 „contraxit: quando *Cæsar* Reges ope LANGII con-
 „ciliatos permovit; uti *Viennam* unâ venirent;
 „ubi officiis omnibus cultos ita fecit suos, ut non
 „sit memoria, Principes inter sese sincerioribus
 „unquam amicitiae vinculis fuisse colligatos. At-
 „que horum omnium faber instructorque, caput
 „& causa erat *Matthæus* noster. Idem deinde post
 „obitum *Maximiliani* Cæsaris effecit; ut inter ri-
 „vales Imperii præpotentes *Carolus* huius nomi-
 „nis quintus ab Electoribus optaretur. Quibus,
 „aliisque rebus tum de Cæsare ejusque domo præ-
 „clarif-

„clarissime meritus fuit, tum haud minus de Pontificibus & Sede apostolica.

„Ejus potissimum operâ concordia, inter Cæsarem & sacram Sedem, inter illas *Italiae* turbas, revocata: ejus interventu abjectum à Cæsare & Germanis *Conciliabulum Pisanum*, ex quo novum Schismâ in Ecclesia surrexerat: denique dignitatem *Romanæ Sedis* adeo tuebatur, ut *Clemens VII.* Papa testaretur, se petitioni *Matthæi* lubentem annuere, *ob suorum magnitudinem meritorum, quibus Ecclesia Romana per amplius illustraretur.* Pontificum ille serviebat studiis in procuranda christianorum Principum pace: in iis, quæ pro fæderandis contra Infideles Principibus & fecit, & tentavit: ut adeo nihil mirum sit, fuisse, ut Romani Pontifices eum & colerent mirificè, & quoties ad ipsos venit, insolitis afficerent honoribus.

„Quod quum propter excellentiam munerum, uæ gerebat, propterque autoritatem, quâ apud Cæsarem & Principes pollebat, facerent: tum propter insignes ejus dotes & ornamenta virtutum. Tanta erat vulgò existimatio Viri, ut veluti sydus quoddam sui Seculi suspiceretur. Qui qui fere de ipso scripserunt (scripserunt autem quamplurimi) id non sine singulari nota & prædicatione fecerunt, testes plerique domestici, qui consuetudine familiari lumen illud virtutis & ingenii quotidie coram intuebantur: quorum testimonium tanto majoris est momenti, quântò difficiliùs occuluntur nævi apud inspectores assiduos.“

Sic encomiorum, ad *Nostrum* pertinentium, & *Sectionis II.* finis esto.

Sectio III.

Doctrina Nostri & Scripta.

De doctrina *Matthæi* LANGII Scriptisque eius tractaturus superfluum fore arbitror, ea repetere, quæ de studiis in *Ingolstadiensi & Viennensi* Universitatibus, in quibus per ea tempora optimi artium ac scientiarum Professores clarescebant, probe à *Nostro* excultis monui, Certe quis fuerit eò annò, quò LANGIUS studiorum caussa *Ingolstadii* commoratus est, Academix status, disci potest ex *Annalibus* à *Io. Nepom. MEDERER* editis. *Viennensis* autem Universitatis faciem ad annum 1486. sic descripsit *Georg. EDERUS* in *Catalogo Rectorum & Virorum illustrium &c.* „Præ ceteris Philosophiæ disciplinis celeberrimum fuit circa hæc tempora Theologiæ studium & Juris pontificii; quorum nomine illustres habentur: *Theologi*, „*Ioannes Harrer*; *Andreas de Potenprun*; *Petrus de Corona*; *Oswaldus Ludovici ex Weykersdorff*. „*Canonistæ*, *Augustinus de Elbing*; *Michael Lochmayr de Heydegg*; *Ioannes Kaltenmarkhter*: „*Medici*, *Casparus Gruessenpeck*; *Paulus Urfspeck*; et *Ioannes Munsterberg* insignis Mathematicus.“ Horum vero plures à *Nostro* auditos fuisse, plane credibile facit *Richardus BARTHOLINUS* sæpius à me citatus; dum de illius juventute, quæ scientiarum studia respicit, in hæc verba cecinit(a):

Quod mentis acumen

*In puero eluxit? Studiorum quantus in illo
Præmaturus amor? Quantum profecerit, ipsa
Miratur Pallas: sive astra polique rotatus,
Seu vim signiferi; seu res præceptaque morum
Inqui-*

(a) In *Hodæporico* inter *FREHERI Script. Res. Germ. T. II. p. 668.* •

*Inquirat ; terræque amnes atque æquora ponti ;
Quæque sub occasu gentes sint , quæque sub ortu ;
Ut fluat Oceanus , quam longo margine tellus
Claudatur , qua parte gelu coit , æquor , & undæ ;
Nigris inventus descendat Nilus ab Indis .*

*Differit hoc melius nemo . Suadela , Venusque
Sessitat in labris : quo fante pependit in æthra
Ales sæpe , suosque oblita est incuba nidos :
Divinique animi stupere : undasque silentes
Firmatas vidi , atque auritas currere quercus .
Os etiam sublime datum , positusque sub alta
Majestate decor , gravitas , præsentia , motus
Diis similem efficiunt .*

In eloquentia quidem quantum profecerit , testi-
monio est dolor , quò idem BARTHOLINUS (b) se
affectum fuisse affirmat , quòd orationi extemporaneæ , à Nostro habitæ , intèresse sibi non licuerit :
*De adventu Regum cum ultro citroque disceptatum
fuisset , Oratores à Cæsare redeundi licentiam acce-
pere , quibus ut ex sententia factum satis videretur ,
Gurcensis etiam Orationem habuit : utpote qui he-
sternæ concioni vel respondendo quippiam adderet ,
vel quia Cæsar , tanto Viro dicente , maiorem in Re-
ges affectum ostenderet . Hoc compertum habeo , lon-
gàm satis , sed citra fastidium , ornâtamque Oratio-
nem extemporaliter habuisse . Quod postquam rescivi ,
animo mirum in modum , non interfuisse , dis-
truciatus sum . Nam quam erudite sapienterque ver-
ba faciat , Princeps omnium mortalium ad unguem
perfectissimus absolutissimusque , sæpius & audiui &
admiratus sum . Nam eius ex ore mel fluere , quam
verba (ut in Nestore Homérico) potius dixerim ,
talemque dicendi suadelam Veneremque , qualis in
Periclis labris sessitasse fertur , percipi . Ut propo-*

nit

(b) *Ibidem* , p. 649.

nit breviter ac dilucide; ut ornate dividit; ut disputat subtiliter; ut resumptionem rerum in fine felicissime profequitur. Quod si alicui respondendi datur provincia, profecto vidi neminem, qui maiore memoria superflua non ignarus præterierit: partium ordini densius responderit: brevius concluderit: ac, ubi necessitas cogit, erudita quadam latitudine, sine dispendio tum verborum tum temporum, concinnius Orationem diffuderit. Non absimile facundiæ Nostrî testimonium perhibuit *Pierius VALERIANUS*, qui, postquam *Cardinalem* nostrum, *Romam* ingredientem, à *Cardinale Episcopo Strigoniensi* fronte hilari compellatum, et Pontificis ac sacrosancti Collegii nomine salvere iussum fuisse monuerat, subdit: *Matthæus* vero minime ad loquendum ineptus omnibus pro re, loco, tempore, luculenter & scite adeo respondit, ut magna nobilium convenarum corona facta, ex affabilitate atque prudentia omnibus e vestigio sese præstiterit admirandum. Audiamus quoque *Io. Dominic. HESSUM* in *Catalogo metrico Antisilitum Salisburgensium* canentem:

Qualis commendat Ulyssen,
Qualis et Aeneam, talis quoque Musa deceret
Matthæum, Heroum qui splendor & ornamentum
Grande, sui que fuit decus admirabile sæcli.
Nestora mirentur Græci, cui verba fluebant
Mellea; ad astra vehant Ciceronem laude Latini,
Libera cum patriæ dicebat Roma parentem.
Vix fuit inferior nostri facundia Patris,
Quæ reges, rerum Dominos, ipsumque tenebat,
Attonitum fando, sanctum cum Cæsare Papam &c.

Artem quoque poeticam minime invitâ Minervâ tractavisse *Matthæum*, istud credibile facit, quod singulari Poëtas amore profecutus sit: cuius rei luculentum testimonium perhibet *Ian. Franc.*

VITALIS , in *Panegyri* LANGIO scripta sic canens :

*Cui nomen utrumque ,
Principis et Vatis , merito memoranda dedere
Facta : sub auspiciis cuius secura Poetæ
Credunt vela mari , Zephyris adjuta secundis.*

Et rursus :

*Namque tua gaudent sub tempestate Poëtæ
Laurigeri*

VITALI jungere oportet Conradum CELTEM Portu-
tuccium , cuius ex Odarum Libro IV scimus ,
Matthæum nostrum Collegio Poetarum *Mansiensi*
ineunte sæculo decimo sexto à *Mansiensi* I. con-
dito patrocinium impendisse *Mansiensi* de II.
eum , Collegii Poetarum *Mansiensi* hæc
verba canit :

*Matthæe cunctis
Legendus , aures si
Utrumque nostrum quæ
Gloria perpetuos man*

*Dum docta vates carmina
Tibi reponent , teque suum
Collegio credito Patronum ,
Pieridum et venerandum amicum*

Hinc idem CELTES , *Nostri* in vates benevolentiam cognitam habens , postquam itinera , quæ jam fecerat , enumeravit , rogat *Matthæum* , ut aliud iter in *Arctoas* regiones , quod animo suo propositum *Portuuccius* habebat , potenti apud *Maximilianum I.* commendatione adjuvaret : in quem finem subdit :

*Reflat sub Arcton cernere Thetios
Rigentes undas , littora & insulas ,*

Natu-

*Natura quæ finem gelato
 Fecerat imperiosa cælo.
 Opus patrono est hic mihi maximo,
 Hanc consequamur quomodo gloriam,
 Ut latitudo, longitudo &
 Teutonicis habeatur oris.
 Hinc Regis aures sollicitus petes
 Ut ille nostris æra laboribus
 Condonet, aut commendet illis
 Regibus, quos habet alter orbis.*

Et votorum suorum, *Nostro* interveniente, damnatum fuisse CELTEM, persuadent mox sequentes *Odæ III. & IV.* in quibus de enavigatione *Sinûs Codoni*, melius *Codani*, hodie *Baltici*: et de *Laponibus sylvestribus*, situque *Livoniæ* Poeta canit.

Neque politiora dyntaxat studia coluit *Matthæus*, sed etiam severioribus gravioribusque sese consecravit. In *Theologicis* quam peritus extiterit, *Georg. Benignus*, *Ord. S. Franc.* *Theologiæ* Professor, *Episcopus Calliensis* in *Umbria*, dein *Nazarenus* *Archiepiscopus* testatum reliquit (c), dicens: *Quum Oeniponte. . Cæsarea Majestas RR^{missis} Legatum Apostolicum (Bernardinum Carvagiale Cardinalem S. Crucis) ad cœnam invitavit, & tua Paternitas acerrimo illo, quo in cæteris utitur & in omnibus valet, ingenio nonnulla de Unitate æque summa illa Trinitate (Innuat doctam illam disputationem inter epulandum habitam, de qua superius in V^{ta} dixi) acutissime proponeret: illeque in omni scientiarum genere eruditissimus Legatus, tanquam Apollinis oraculum responderet; tunc imperatoria Majestas, tanquam oblita epularum- & vehemen-*

(c) In *Nuncupatoria Operis: De Trinitate*, quod manuscriptum inter *Codices Cæsareos* habetur: et quod is *Nostro* dedicavit.

amentissimarum apud mortales voluptatum, toto animo in Deum ferri videbatur, ac de his, quæ disputabantur, summam ipse quoque et interrogando & respondendo capere voluptatem. Quibus ex rebus Celsitudinem suam in contemplatione divinarum rerum, et in illa suprema et summa genealogia summopere oblectari conclusimus. Hæc itaque oblectabunt ipsius divinum ingenium, neque tuæ Paternitati observantissimæ, cui tanquam acutissimo, omnia acuta voluptatem præbent, displicebunt; quam & supplex oro, quo apud Cæsaream Amplitudinem velit mihi esse bonus *Mecenas* &c.

Hunc certè inter convivandum de rebus quæstionibusque litteratis amicè disputandi morem strenuè coluisse *Nostrum*, invicto argumento sunt inde in lucem publicam, obstetricante *Conr. PEUTINGERO* Viro longe doctissimo, & bonarum litterarum per *Germaniam* illis temporibus instauratore sollertissimo procusi *Sermones convivales*; nam cum *Ioannes CAPER* Theologiæ Doctor, *Bernardus VALDKIRCHIUS* & *Hieronymus LOCHNER* Canonici, *Sebastianus ILLSUNG*, *Conr. PEUTINGERUS*, *Ioannes JUNG* senior & *Ioannes OTTO* Medici à *Nostro* ad convivium laute instructum vocati fuissent, deque variis tum sacris tum profanis antiquitatibus, veterum *DiepnoSophistarum* more, *Nostro* Symposiarcham agente, sermones contulissent: ex iis PEUTINGERUS ansam arripuit, supra memoratum Opus in lucem proferendi (d).

Singulari deinde studio in colligendis *Veterum Monumentis* & *Antiquitatibus* versabatur *Matthæus*. Sic inventam anno 1502. in agro *Carinthiæ Solvensi* æneam statuam virilem suam fecit, & de
inde

(d) Vide *Vitam Conr. PEUTINGERI* à me anno 1783. editam, pag. 72. Item ipsos PEUTINGERI *Sermones convivales*.

inde *Salzburgum* attulit teste *Vinando PIGHIO* (e). Sic in obsidione *Patavinæ* urbis, inter ipsos negotiorum publicorum æstus, et bellicorum tumultuum terrores curas ad litteraria extendens, monumenta litteratorum lapidum conquisivit, bonamque eorum partem ad castrum suum *Wellenburg* comportavit (f).

Sed neque hoc prætereundum mihi est, *Nostri* cum optimis scientiis etiam *Musices* peritiam conjunxisse; cuius rei testem habemus omni exceptione majorem, synchronum, & ipsum doctrinæ laude insignem *Sigismundum GRIMUM* (g)
Medi-

(e) In *Hercule Prodicio*.

(f) V. *Marci VELSERI Opera*, p. 416. 418.

(g) *Sigismundi GRIMMI* mentionem feci in mea *Diatriba de Origine & Incrementis Artis Typographicae in urbe Augusta Vindelicæ*. in 4to. p. LVII. seqq. ubi monui, eundem commune cum *Marco WIRSUNGO* Typographæum *Augustæ* post initia seculi XVI. habuisse. Hanc *Diatribam* ut consulas, Lector benevole! humanissime rogo; quod, quæ ibi in *Nostri* commendationem à me dicta sunt, hâc locò repetere nolim. Quem vero ibi, ut cultorem artis typographicæ laudavi, jam ut cultorem Musarum, Virumque doctum, tam opportuna occasione oblata, laudandum mihi esse, plane censeo. *Zwiccaviæ* vergente in finem sæculo XV. natus, anno circiter 1512. *Augustam* venit, ibique artem medicam cum laude ac prospere factitavit: præterea quamplurimos variorum eius ætatis Litteratorum factus, typorum ope, foras producendo *Dedicationibusque* amplius exornando de Republica litteraria quam optimè meruit. Hinc Viris doctissimis, e: g: *Ioanni AUBANO*. *Iacobo SPIEGELIO*, *Conrado PEUTINGERO*, *Ioanni DICKIO*, *Pavlo RICCIO* Archiatro cæsareo, amicissimus ac gratissimus fuit: quippe qui tum virorum doctorum partibus suâ, nec modica, impensâ lucem dare studuerit; tum ipse ingenium melioribus litteris apprime tinctum aluerit. Atque

Medicum Augustanum, qui in *Libro selectarum Cationum*, quas vulgo *Mutetas* appellant. 1520. in folio,

que (Ut ad laudes, quæ ad *Nostrium* à doctrina, quæ valuit, redeunt, propius accedam) debet ei orbis literatus *Alfaharavium* Medicum Arabem, quem *Noster* a se, nescio ubi, inventum atque è tenebris erutum anno 1519. *Augustæ Vindel.* in folio publicavit hoc titulo: *Liber Theoricæ nec non Practicæ ALSAHARAVII in prisco Arabum Medicorum conventu facile principis, qui vulgò Acarius dicitur, jam summa diligentia & cura depromptus in lucem.* Antequam hoc Opus foras emitteret *Noster*, utut ipse per se satis doctus; tamen *Paulo RICCIO* doctor laudato illud transmisit, Viri huius maximi iudicium desuper exquisiturus. Qui cum in hanc sententiam rescripsisset: *Admirari satis nequeo, quænam fors atra, & quis nubilus syderum vultus præclara huius Viri monumenta aspexerit: quodd, ad hanc usque diem cæco carcere clausus, luce & multorum studiosorum Virorum (præter unicum Matthæum de GRADO Virum medicæ facultate percelebrem, cuius ore passim Alfaharavii versatur autoritas) intuitu & lectione caruerit; quem utique... nullo Medicorum, post medicinæ parentem Hippocratem eiusque interpretem Galenum, inferiorem dicere minime vrubesco &c.* Atque ob eam rem, GRIMMUM vehementer ad illum edendum cohortatus esset; *Noster* haud diutius sibi differendum iudicavit, quin eum luci publicæ suo ingenio suoque (ut aiunt *Marte* exponeret. Liber est perrarus, nec iteratis typis editus, et si iisdem ob sui raritatem plane dignissimus, teste *Christ. Guil. KESTNERO* in *Biblioth. medic.* p. 137. qui tamen in eo errat, quod hunc Librum junctis RICCII & GRIMMI viribus prodivisse dicat; cum laus ista ad solum GRIMMUM pertineat. Confer *CLEMENT B*ibliothèque historique & critique &c. Ego nil addere habeo, quam alium GRIMMUM, cognomine *Simonem*, Augustanum, haud dubie ex *Operis Nostri, Dissertationem inauguralem de Profanatione Rei sacræ, pro capellenda Nostratiis in Jure laurea, Giessæ Hassorum.* 1687. in 4^{to}. edidisse. Confer Librum: *Unschuldige Nachrichten.* T. XL. p. 557.

Bibl. Auguß. Alph. V. G

lio, *Augustæ* a se excuso his verbis *Nostrum* affatur: *Sed cur apud te, Reuerendissime Princeps! Musicen tam multo celebramus sermone, aut eius exaggerare dignitatem studemus, cui tu ipse amplissimo ornamento esse possis. Satis enim constat excellentissimam dignitatem tuam, scientem hanc ipsam Musicen esse optimam nobilissimi otii ministram, semper tibi fuisse loco cuiusdam atque omnium fidelissimi commilitonis, musicæque expertes, immodulabileſque (veluti prophanos) à sacris penetralibus tuis procul ablegatos. Quam ob rem cum aliquot numeros musicæ, non eius quidem, quæ hodie in choris puellarum saltationibusque, lascivis carminibus, perstrepat levis ac plane frivola, sed gravis illius, ac imprimis principum virorum auribus dignæ harmonicæ, quæ receptiori nomine Mutetæ vocantur, publicare ferebat animus, laboriosissimo hoc immodicæque impensæ Opere recognitas, ab præclaro artis ipsius excultore, Ludovico SENFELIO Helvetio illo, qui Musicam Cæsaris Maximiliani Capellam, post inclyti Præceptoris sui Isaci ORPHEI Germani excessum, illustrarat, hoc ipsum Opus sub nomine tuo, — — — in lucem prodire curavimus. Confer, si lubet, Perillus Pauli à STETTEN junioris Librum: Kunst- und Handwercks- Geschichte von Augspurg T. I. p. 525.*

His aliisque doctrinæ præfidiis & scientiarum ornamentis instructum dum cogito *Matthæum*, nihil posthac miror, Viros eius ætatis doctissimos testimoniis longe amplissimis *Nostrum* à doctrina certatim prædicasse. Horum nonnulla in medium proferre, haud abs re erit *Iano Francisco VITALI* Noster omni bonarum artium disciplina excultissimus audit. A *Georgio BENIGNO*, paulo ante laudato *Vir in divinis ac humanis litteris eruditus,*

acer-

æfferimo in omnibus valens ingenio appellatur. Iacobus WIMPFELINGUS eum cum Viris eruditionis laude per id ætatis clarissimis annumerans ait : Nonne Matthæus LANGIUS . . doctrinam cum facundia conjunxit , doctosque in pretio habet ac fovet ? VADIANUS non solum eruditissimum vocat , sed etiam tantum doctrinæ eius tribuit , ut communem Reipublicæ litteratæ Iudicem constituat ; quippe qui uno omnium doctorum ore , uno optimorum quorumque , qui eum novissent , consensu is esse judicaretur , in cuius conspectum debeant , quotquot eduntur , illustrium ingeniorum monumenta venire : non tam ut istorum officio ille ei honor , quem amplissimum consecutus esset , augeatur ac confirmetur ; quam ut scire possint , dignum sit luce ac lectione , necne , quod edunt . Tum subdit : Hoc enim tibi , celsissime Princeps ! supra multorum Principum fortunas peculiare accessit , ut judicare et discernere in omnium illustrium doctrinarum instituta contentione , quid optimum , quidve optimo proximum sit , persfacile possis . His accedit Petrus Tergestinus episcopus , sequentibus Nostrum verbis compellans (h) : Sollertissimus es ingeniorum nostri temporis censor Quamvis sacratissimi Cæsaris Maximiliani maximo negotiorum pondere deprimaris , ut vix à laboribus respirare liceat , nihil tibi suavius , quam cum Viris doctis versari , & litterarum studiosis oblectari plurimum , inter quos mihi , pace dixerim aliorum , primum tenere locum videris . Eandem censoriam in Republica litteraria auctoritatem Nostro attribuit Ioannes FABER in Nuncupatoria ad Orationem funebrem in Maximilianum I. dicens : Eam Orationem tibi dedico . . . quod tutior in lucem prodeat . . . Quis enim improbabat , quod à Principe doctissimo & omnium rerum expertissimo fur-

G 2

rit

(h) V. PEUTINGERI *Sermon. convivial.*

rit approbatum? Et postquam monuit, Poetas, Oratores, seu cuiusvis doctrinæ homines quamplurimos à *Maximiliano I.* ad honores publicos evectos fuisse, eius rei testes inter, primo cum Viris illius ætatis doctrinâ principibus (puta *Erasmo, Reuchlino, Peutingero, Stabio, Cuspiniano, Zafio &c.*) locò *Nostrum* commemorat. *Ioannes STAMLERUS* disciplinarum fere omnium auditorem & defensorem acerrimum appellat, eumque à gravi, nobili & magnificentissimo ingenio commendavit. Verum quid huiusmodi præconia accumulò, quæ si persequi univèrsa vellem, et dicendi finem non inveniam, & brevitatìs propositæ fines excedam: tum etiã benevoli Lectoris patientiam ipsa eorum multitudinè certissime obtundam? Itaque finiat *Franciscus IRENICUS* supra laudatus, qui in hæc verba de *Nostro* scribit: *Superfunt ætate nostra illustrissimi ac mirabiles rerum scientiâ Viri: pacè tamen omnium, tria Germanorum lumina, et hæc sola cæteris præstare mihi persuasum est, quorum excellentiæ omnis libero ac solido animo, quantamcunque messè in litteris fecerit, ultrò cederet, ac illis palmam tribuere minus erubesceret. Primus illorum, amplitudinè summæ gratia, nobis Reverendissimus Gurcensis Cardinalis appellandus est, qui, sola virtute, Principis nomen ingenii sublimitati adjiciens, omnes felicitatis calculos conjungens, et ex triplicis generis bonorum; nulli hominum alteri concessorum, conjunctione in unum plencæ ac absoluta perfectionis Virum abivit, membrorum firmitate, dotibus animi, tum et amplissimo sacerdotio præditus, summum jus apud *Maximilianum*, quem ut proprium sibi devinxit, affectus est, et quod longè honestissimum est, præ cæteris politiora ingeniorum studia alit, colit, sustentat atque conservat. Huic quidquid*

quid feliciori ingenio productum est; politiori facundia perfectum est, plus alibi Germanis arridet. Quare adducti sumus, et Germanias nostras ipsi, ut Germanorum absolutissimo, sive eius nomini consecrare,

Tanta dein doctrinæ Langianæ opinio & estimatio tanta Litteratorum eius temporis animos pervaserat, ut satis non habuerint, eam summis laudibus ad astra extulisse; sed multum etiam gloriæ atque famæ publicæ suorum ingeniorum partibus accessurum putarint, sicubi eisdem nomini *Langiano* inscriberent, et ad eius veluti quoddam eruditionis tribunal deponerent. Sic *Conrad. PEUTINGERUS* *Sermones suos convivales*: sic *Ioannes STAMLERUS* (i) *Opus suum de diversarum gentium*

G 3

sectis:

(i) *Ioannes STAMLER Augustanus, adultior factus, Tubingæ anno 1492. eius Academiæ albo nomen suum dedit, teste CRUSIO in Annal. Suevic. Dod. III. p. 496. Eundem multarum gentium peregrinationem fuisse, multorum populorum mores vidisse, doctos non sine pingui lucro auscultasse, à Jacobo LOCHERO Philomuso docemur. Demum temporum decursu Parochus Kissingæ, pago ab urbe Augusta spatio unius miliaris distito constitutus, iortatu memorati LOCHERI scripsit, ediditque anno 1508. in folio, sequens Opus: Dialogus in modum comici Dramatis formatus, à Ioanne Stamler presbytero succincte digestus, de Tartarorum, Saracenorum, Turcorum, Iulæorum & Gentilium Sectis & Religionibus, ac eorundem confutatione, & cum nostræ apostolicæ Fidei historiarum, figurarumque, præterea utriusque Testamenti sacrarum Scripturarum compendiose insertarum approbatione. Est Augustæ per Erhardum Oeglin, & Georgium Nadler non Erhardum Ratdolt, ut male habet Carol. STENJELIUS in Comment. Rer. August. p. 256.) excusus, quem, ut supra moneo, Langio nostro dicavit. Laudavit Opus pluribus, Jacobus Philomusus, sibi que et doctis contubernaliibus suis placuisse: æquis etiam Lectoribus & minus fastidiosis apprime placitura esse, Nostro esse.*

ſectis: ſic *Ianus FRANCISCUS VITALIS Panegyriſuam*;
ſic *Georgius BENIGNUS Opus de ſumma Trinitate*;
ſic *Sigismundus GRIMMUS Librum ſelectarum Can-*
tionum, quas vulgò *Mutetas* appellant; uti ſupra
innimus: ſic *Ioachimus VADIANUS Richardi BÄR-*
THOLINI Auſtriadem: ſic *Ioannes FABER Orationem*
in obitum Maximiliani Cæſaris a ſe habitam;
ſic *Franciſcus IRENICUS Exegeſin Germaniæ*, ſal-
tem ex parte: ſic *Caspar URSINUS Velius*, Doc-
tor & Poeta laureatus, ſuum in *D. Maximilianum*
Cæſar. Epicædion: ſic *Georg. TANNSTETTER*, Phy-
ſicus & Mathematicus clariffimus, ſuum *Iudicium*
aſtronomicum Viennenſe anni 1519. itemque anni
1520: ſic *Blafius PROEVS Inticanus ſuum ad Ioan-*
nem Fabri Præpoſitum Budenſem Epigramma: ſic
Chriſtoph. CULBERUS, Rector *Academiæ Viennen-*
ſis, *Orationes Viennæ Auſtriæ ad D. Maximilia-*
num

affeſeravit. Contra ſenſit *Conrad. GESNERUS* in *Bib-*
lioth. univerſali dicens: *Eſt Dialogus iſte a Stamlero*,
adhuc juvene, ſcriptus ſermone non ſatis latino & affectu-
to, de Tartarorum, Saracenorum, Turcorum, Judæo-
rum & Gentilium ſectis & religionibus, cum eorundem
confutatione, & approbatione noſtræ Fidei hiftoriarum ſi-
gurarumque per utriuſque Teſtamenti Scripturas. Accedunt
& Añnotaciones paſſim in marginibus. Utcunque
ſe iſtud habeat, Liber eſt admodum infrequens, et in
Bibliothecis non niſi rariffime invenitur. Conſer, ſilu-
bet, G. G. ZAPFII Annales Typograph. Auguſtanæ, ad
annum 1508. Illo. Alium Dialogum MSSum. noſtri Ioan-
nis, in Religionis & Juris Detractores, Foliis ſepten-
decim conſtantem, ſervat Bibliotheca San - Udalricani
Monafterii, Auguſtæ. Interlocutores ſunt Stilpho: A-
marillus: Callimachus ſenex; Incipit: Miror artiſticiu-
meum &c. &c. Allegat Noſtrum Ioannes ECCIUS in Lib-
ro: Ains Judi Buchlins Verlegung (melius Widerle-
gung) Ingolſtadt 1541. ubi Ioannem noſtrum Doctorem
& Canonicum Brixinenſis Eccleſiæ cathedralis vocat.

num *Cæs. Aug. aliosque illustrissimos Principes in celeberrimo trium Regum ad Cæsarem Conventu, anno 1515. habitas Nostro* dedicarunt: et si qui sunt alii, quos brevitatis gratiâ omitto.

Eratque profecto dignum ac condecens, tantis obsequiis coli Virum, qui tum litteras ipsus ap-
prime coluit, tum eas earumque assèclas fovere
atque adjuvare modis omnibus conatus est. Nam
non solum eos ipse per sese benevolentia, hono-
re, & munificentia mira profecutus est; sed etiam
impetratis à Cæsare honorificentissimis privilegiis
atque immunitatibus ornare atque augere pro vi-
ribus et auctoritate, qua valuit, maxima strenue
allaboravit: adeo ut inter primos eius ætatis Lit-
teratorum Mecænates, et optimarum litterarum
per *Germaniam* instauratores præcipuos jure me-
ritissimo connumeretur. Hinc optime *Georgius*
TANNSTETTERUS Archiater Cæsareus in *Judicio a-*
stronomico Viennensi, anni 1520. Matthæum no-
strum Litteratorum omnium, quos Germania aut
peperit, aut etiamnum parturit, unicum et præsi-
dium & ornamentum vocat. *Vinandus* autem FIG-
HIUS in *Hercule Prodicio, Antiquitatum et virtu-*
tum omnium summum cultorem et admiratorem, doc-
torumque Virorum sui temporis Mæcenatem maxi-
mum nuncupat.

Hanc *Nostri* erga doctos benevolentiam ac li-
beraliteriam ut argumento quodam certissimo, et
luculentissimo testimonio confirmem, libet addu-
cere locum, satis quidem prolixum, sed ad pro-
positum maxime facientem, ex Epistola *Erasmi*
Roterodami ad *Petrum CURTIUM* Rhetorem in *A-*
cademia Romana clarissimum anno 1535. data:
in qua cum *Erasmus* amicum monuisset, se, *Mat-*
thæo nostro *Româ* in *Germaniam* reverso, dedisse

litteras ad Aulæ eius Præfectum, ut comperiret:
quidnam bonæ spei de componendis diffidiis: Et re-
sarcienda concordia christiana Cardinalis attulisset.
 Subjicit: „Qui (Aulæ scilicet Præfectus) cum pri-
 „mum epistolam aperuisset, et manum meam jam
 „diu suis oculis familiarem agnovisset, ad *Cardina-*
 „*lem* statim accurrit, nunciatque litteras esse ab *E-*
 „*rasmo*. Quo audito *Cardinalis* suaviter subridens,
 „*egregie*, inquit, *nobiscum agitur, quod Erasmus lit-*
 „*teris suis invisat; nam annus mihi esse videtur, ex*
 „*quo ne apicem quidem ab eo litterarum conspexi.*
 „Quid multis? Recitari eas iussit, et sub finem
 „earum magna mea cum laude, quod de pacando
 „religionis statu sollicitus essem, plane regia et
 „tali Principe digna verba in frequentissimo illius
 „Aulæ theatro protulit, *nihil se usquam habere,*
 „*quod doctorum Virorum proprium esse nolit; mul-*
 „*taque alia de me adjunxit, quæ modestiæ causa*
 „*prudens omitto. Sed unum tamen hoc præteri-*
 „*re non possum, quod aureum poculum artificio-*
 „*sissime cælatum, quod tum congerronibus suis*
 „*forte ostendebat, transmitti ad me, veluti mne-*
 „*mosynon animi erga me sui, voluerit, ut decla-*
 „*raret, gratam sibi fuisse sollicitudinem meam.*
 „Quo ego profecto ita sui ob Phidiacum plane ar-
 „tificium delectatus, ut professus sim inter docti-
 „ssimos et scitissimos compotores meos, qui tum
 „aderant, inter quos fuit *D. Rhenanus*, et *Hen-*
 „*ricus Glareanus*; hic poeticæ, quæ bibax esse so-
 „let; ille historiæ deditus, me non alio poculo
 „vel pharmacum adversus calculum, vel ad ex-
 „stinguendam sitim liquorem sumpturum esse: nam
 „operculum, quod paulo infra crepidinem *Æscu-*
 „*lapium* tornatilem habebat, medicinæ propi-
 „nandæ fabrefactum datâ operâ videbatur: *Cya-*
 „*thus*

„thus ipse non mediocris capacitatis, *σικετωνίας*
 „circum habebat Satyros, et in eorum medio
 „Bacchum ebriosulum, tanta (ita me Deus a-
 „met) elegancia, ut jam *Praxitelis* opera mi-
 „hi sordere perfacile possint. Sed hæc præter
 „rem. Perlectis literis meis, responderi mihi ius-
 „sit. *Paulum III. Pontificem maximum ab ipsa sta-*
 „*tim electione pollicitum esse sibi, & Reverendissimo in*
 „*Christo Patri et Domino D. Bernardo Cardinali*
 „*Tridentino: Concilium se congregaturum, ut infi-*
 „*nita malorum examina apud Germanos funditus*
 „*exstirpentur, et eradicentur. Reliquum esse, ut ip-*
 „*si homines eruditos et cordatos passim in Germania*
 „*cohortentur, ut Religioni ferre suppetias velint.*
 „E. quibus plusquam monogrammum amplissimum
 „Præsul me primum nominare decrevit. Sed ta-
 „men committere non voluit, quin me de non-
 „nullorum impudentia, de quibus Romæ intelle-
 „xerat, admoneret, qui *Theoninis* dentibus famam
 „meam arroderent, et lacerarent. Idque eo con-
 „silio fecit prudentissimus, et hoc prope facto il-
 „lustrissimus Princeps, ut labes mihi adpersas prius
 „abstergerem, quam huic studio me præpararem.“
 Hæc *Erasmus* sat gravis idoneusque testis; cui ad-
 jungere licet *Casp. Ursin. VELIUM*, qui *Nostro* a-
 liquamdiu a secretis *Epistolis* fuit, & qui in *Epi-*
cædio in Maximilianum I. collata sibi à *Nostro* be-
 neficia multis deprædicat, ac peramplas ei gra-
 tias agit, quod commendationis *Nostri* autoritate
 (ut ait) à mox memorato Cæsare, in conventu
 spectatissimorum Virorum, hilariter & ambabus,
 quod dicunt, manibus laureâ coronâ insignitus fue-
 rit: quod gratiæ genus pluribus Poëtarum eius
 ætatis pro summo, quo in illos ferebatur, studio
 procuravisse *Nostrium*, dubitare nullo modo licet.

Tantum erga Litteratos amorem cum palam ostenderit *Matthæus*, nil miror, eundem à Viris illorum temporum doctissimis crebris *Epistolis* compellatum fuisse. Vidimus de hoc superius, ubi *Nuncupatorias* eorundem, ad *Nostrum* directas, recensui. Quare, ut brevis sim, Viris doctis hactenus nominatis tres solos, sed hos famæ longè maximæ, istò locò addam. I. *Ioannem Franciscum MIRANDULANUM*, qui è terris suis à fratre *Ludovico* extorris factus, dum vitam profugam *Argentinae* egit, inde scripta anno 1505. 4. Cal. Majas *Epistola* afflictis rebus suis à *Nostro*, cuius patrocinium maximi apud *Maximilianum* momenti esse noverat, opem imploravit. Est autem *Epistola* illa eiusmodi concepta verbis, ut facile pateat, intimiorem *Mirandulano* amicitiam cum *Nostro* fuisse. Ait enim: *Potuissem vacuus reverti ad Cæsarem, Malui dare litteras, quia non erubescunt; ex quibus intelliges, nihil actum esse in re mea. Tu pro tua in omnes humanitate, Et in me benevolentia curabis, ne frustretur voto. . . . Tuus jam sum; da operam, ut magis fiam. Laconicè scripsi. . . sed tibi linea pro schedula. . . (k).* Neque dubitare licet, *Nostrum* pro viribus amico succurrisse, II. *Ioannem REUCHLINUM*, à quo, binis imploratus literis, per *Sebastianum SPERANTIUM* suum, cæsareumque Secretarium nūntiare supplicanti iussit: se eius patrocinium cum omni favore et diligentia suscepturum, et apud *Cæsarem* haud dubie effecturum, ut iste sua auctoritate omnes illas dissensiones (lat notas Eruditis) quantocyus extinguat (l).

III. *Ioan-*

(k) V. *Opp. T. II. p. 1338. Edit. Basileens. de anno 1573.*

(l) V. *Illustrium Virorum Epistolas ad Io. REUCHLINUM. 4^{to}.*

III. *Ioannem TRITHEMIUM* Ord. *S. Bened.* Abbatem, cuius habetur *Epistola* (*m*) ad *Nostrium* anno 1507. *Herbipoli* 1. Septembr. data, qua certior fieri cupit, utrum ire ad *Cæsarem Maximilianum I.* debeat? *Sæpius* videlicet *Princeps* iste (ut erat in *Viris doctis* ad se evocandis apprime curiosus) *Trithemium*, nil dubito *Nostro* stimulante, invitavit, ut in aulam sese conferret. Paruit is vocationi tertix, annoque 1508. *Moguntiam* delatus, ibi a *Bernardino CARVAGIALE* Cardinale & Legato apostolico, una cum *Matthæo* nostro, & *Archiepiscopo Moguntino*, convivio exceptus est. Inle vero eum *Noster* die 26. Maii *Coloniam Agrippinam* ad *Cæsarem* honorifice deduxit, vocationis suæ causam doctaque mandata ex ore ipsius *Principis* percepturum.

Sed modo tempus monet, ad litteraria *Nostri* monumenta recensenda transire. Hæc sunt.

I. *Oratio habita Bononiæ à Nostro coram Iulio II. anno MDXI.* Huius summam servavit nobis *Michael COCCINIUS Tubingensis* in *Libro de Bello Maximiliani I. cum Venetis*, sub initia sæculi XVI. in folio parvo excuso: quem postea *Marguardus FREHERUS* suis *Scriptoribus Rerum Germanicarum*, T. II. inseruit, ubi vide, p. 542. Atque utinam integram nobis idem *COCCINIUS* reliquisset! Hæc est *Oratio* illa, ob quam *Noster* à *GUICCIARDINO* nimix arrogantiæ immerito accusatus fuit.

II. *Epistolæ complures*, tum latino tum gallico sermone scriptæ, ab anno 1510. in annum 1514. ad *Andream de BURGO* Imperatoris *Maximiliani I.* plurium annorum spatio in aula Regis *Galliæ* Legatum:

(*m*) V. *Eius Epistol. familiar.* 335. b. *Hagenox.* 1536. *Confer Historiam litterar. Ord. S. Bened. T. III. p. 291. 292.*

gatum: ad *Stephanum de PONCHER* Episcopum *Parisiensem*: ad *Margaritam* filiam *Maximiliani I.* Gubernatricem *Belgii*: ad *Maximilianum SFORTIAM* Ducem *Mediolanensem*: ad *Maximilianum I.* Romanorum Imperatorem. Habes eas in Libro: *Lettres du Roy Louis XII. & du Cardinal George d'Amboise. à Brusselle. 1712.* quem, si habet, consulta, ut magis intelligas, quanta publicorum negotiorum tractandorum peritia in *Nostro* resederit.

III. *Schedula lecta per Nostrum in Sessione III. Concilii Lateranensis V.* quâ Conciliabulum *Pisanum* respuit, econtra *Lateranense* Concilium amplectitur. Extat in *Collect. Conciliorum LABBEI & COSSARTII. Edit. Venetæ, de anno 1732. Tom. XIX. p. 733. & in DU-MONT Corps diplomatique T. IV. P. I. p. 150.*

IV. *Litteræ vernaculè scriptæ ad venerabilem Fratrem, Amicum charissimum, Dominum Philippum Episcopum Frisingensem, anno 1514. die penultima Augusti,* quibus eum rogat, ut sibi *Consecrationem archiepiscopalem* impendat. Exhibet illas, nemini antea observatas, *Carol. MEICHELBECKIUS* in *Hist. Frising. T. II. p. 296.* Vide supra, in *Vita*, ad hunc annum.

V. *Mandatum ad Clerum, datum in oppido Mühlendorf, anno MDXXII.* Hoc *Florianus DALHAM* Presbyter e *Scholis piis*, *Archiepiscopi Salisburgensis* Consiliarius ecclesiasticus & Bibliothecarius (in *Conciliis Salisburgensibus, à se in folio, 1788. vulgatis*) ad exemplar typis excusum, in *Tabulario Consistorii archiepiscopalis* extans, luci denuo dedit pag. 231. sequentibus præfatus: *Fuit ea tempestate rustici belli per omnem Germaniam maxima acerbitas et desolatio, agresli plebe passim et in Principes, & Sacerdotes, atque in avitam Religionem catholicam ar-*
mis

nis grassante, præsertim postquam nova Lutheri dogmata percubuerunt. . . . Erat tum et Clericorum & Monachorum summa licentia, crassæ litterarum politiorum ignorantia conjuncta. . . . Anxius & de parandis morbo remediis sollicitus Archiepiscopus, de intercipiendis item Lutheri progressibus & quonam id potissimum pacto effectum daretur, quosdam suorum Suffraganeorum Mùhldorfium evocavit. Conserens omnes, temporum vertiginem, e corrupta ecclesiastica disciplina natam, sola Cleri emendatione excuti oportere. In hunc itaque effectum supradictum Mandatum à Cardinali nostro publicatum fuit. Confer Car. MEICHELBECK *Historiam Frisingensem*, T. II. p. 299. ubi Litteras habes Philippi Episcopi Frisingensis mox dicti, quibus is Mandati huius, cuius condendi, cum aliis Episcopis Provinciæ Salisburgensis, particeps fuerat, sedulam executionem urget.

VI. *Litteræ publicæ, seu Manifestum editum à Nostro, anno MDXXVI. die 16. Iulii, sabbatho post festum S. Viti, contra Subditos suos rebelles.* Has Wiguleius HUNDIUS ad cautelam generationis (ut ait) quæ ventura est, ex autographo descriptas exhibet in *Metropoli Salisburgensi*, Tom. I. pag. 55. seqq. ubi addit: *Præmissæ Archiepiscopi Cardinalis Matthæi Litteræ causam exortæ in Archiepiscopatu Salisburgensi seditionis diserte ostendunt, nempe prætextum Evangelii &c.* Inveniuntur etiam in LUNIGII *Spicilegio ecclesiast. I. Th. Fortsez.* p. 1028. & in Franc. DUCKHERI *Chronick von Salzburg*, p. 243. Summam earum sequentibus exprimit Marc. HANSZIUS in *Metropoli Salzburg.* p. 598. dicens: *Matthæus Scriptum publicum edidit, quo expositis primum insolentis, contumacia, perfidia, perniciosisque consiliis conjuratorum, studioque suo conser-*

vandæ tranquillitatis, quo omnem operam adhibuerit ad observandos Tractatus nuper sancitos, ad conservandam in quiete provinciam, testatur se nullam belli dedisse causam, nihil citra consilium Ordinum provincialium egisse, studiaque sua non ad aliud contulisse, quam ut expulsis pestiferarum factionum auctoribus bonorum hominum quieti consuleret. Nunc se, rursus per vœcordiam quorundam adactum ad repellendam vim, mandare fidelibus patriæ civibus, ut mature se ab eiusmodi noxiorum societate subducant &c. &c. Hæc te monere, Lector! volui, ne forte per *Epistolam Statuum ditionis Salisburgensis*, & *Ioannis GOLDII Responsum ad propositas Quæstiones* in errorem inducaris, ut credas, Nostrum adfitem fuisse criminum, quorum inibi accusatur. Fuit autem GOLDIUS *Iudex civitatis Salisburgensis*, aut (si mavis) *Prætor*, de quo *Christoph. JORDANUS* in *Chronica* disertè ait: *Accusatur GOLDIUS, dissidium Archiepiscopum inter & cives variis, ac paradoxa ferentibus dictis excitasse*; et rursus ait: *eundem, cum quadam die cives in foro cum Ioanne SCHENCKIO & Sigismundo de TURRI, Missis Archiepiscopi, convenissent, adfuisse equo vectum, sub vestibus lorica probe munitum, eo consilio, ut se fuga proriperet*. Quis tali Viro, quis Subditis debitam Principi legitimo fidelitatem violantibus fidem adhibeat, quorum maxime intererat, ad palliandam perfidiam varia comminisci, aut exaggerare, aut inverse proponere? Contra hæc faciunt *Instrumentum Pacificationis interventu Ludovici Bavaricæ Ducis anno 1525. die ultima Augusti initis*: & *Litteræ ipsæ Archiepiscopi*, de quibus sermo est: item *Libellus parvus quatuor foliorum, in 4^{to}. hoc titulo: Welchergestalt die aufrührischen Saltzburgischen Unterthanen, nach dem sie durch die Ständ des*

des Bunds zu Schwaben widerum zu Gehorsam gebracht sein... Huldigung gethan haben. Sed de his satis. — Epistolam Statuum ditionis Salisburgensis ad Magistratum Augustanum datam anno 1525. en festo S. Udalrici, Ioannis GOLDII Responſa, & Instrumentum Pacificationis memoratæ invenire est in Libro: Merckwürdigkeiten der Zapffischen Bibliothek, II. St. p. 490.

VII. *Epistola brevis ad Regimentum Imperii & Nostro anno MDXXVIII. die Mercurii post Pentecosten data; qua prorsus negat, sibi de Foedere, quod comminisci pessime ausus fuerat Otto PAOKIUS, quidquam compertum esse; cum nec Vratislaviæ fuerit, nec Legatos ibi habuerit. Reperitur in Friderici HORTLEDERI Opere: de bello Germanico, Vol. I. L. II. p. 792. hoc titulo: Erzbischofs Matthæi zu Salzburg Entschuldigung der vermeinten Bündnus halber, von unserm gnädigsten Herrn von Salzburg &c. an das kayserliche Regiment zu Speyr ausgegangen.*

VIII. *Recessus Mühldorfensis, die 15. Ianuarii, anni MDXXXVII. Hunc, vernacula lingua concinnatum, habes in ante-memoratis Conciliis Salisburgensibus P. Floriani DALHAM, pag. 287. Cum, & Paulo III. Concilium universale Mantuam indicatum esset, quod postea Tridentum translatum fuit, „Nosſer neceſſum plane cenſuit, provinciale Concilium cogere, ad Nuntios legitime ablegandos in locum œcumenici Concilii, & præcipua capita proponenda, avitam Religionem Salisburgensem & salutarem disciplinam vehementer infestantia.“ Ad hanc itaque provincialem Synodum ut Episcopi & Patres instructos adferrent animos, prævium quorundam Episcoporum & Nunciorum, quos vicini Principes et absentes Episcopi ede-*
stinâ-

stinâssent, conventum *Mühldorfi* indixit: ex quo supra laudatus *Recessus Mühldorfenfis* originem habuit.

IX. *Epistola encyclica ad Episcopos & Principes*, quâ eos *Matthæus* ad *Synodum provincialem*, anno MDXXXVII. in Dominica: *Iubilate*, habendam convocat & invitat. Habetur apud eundem *Florian. DALHAM*, p. 290. à quò discimus, Terminum habendæ Synodi gravibus de causis à *Nostro* à Dominica: *Iubilate*, usque in Dominicam: *Exaudi*, prorogatum esse.

X. Concilium *Salisburgense* anno Christi MDXXXVII. Pauli III. Papæ anno III. Caroli V. Imperatoris anno XIX. coactum à *Matthæo Archiepiscopo*, ad consultandum de rebus ad generale Concilium perferendis, ad reprimendas hæreses, emendandos Clericorum mores, & ecclesiasticam Immunitatem conservandam. Istud Concilium, *Collectoribus Conciliorum*, aliisque *Scriptoribus Rerum Salisburgensium* plane incognitum, soli (quod scio) *Oder. RAYNALDO* in *Annal. ecclesiast.* non nisi in transitu memoratum e latebris, quibus hætenus tectum jacebat, produxit sæpius laudatus, *P. Florian. DALHAM* l. c. p. 296. *seqq.* ubi etiam brevem tum historiam, tum summam huius *Synodi* invenies.

Cum verò *Statuta* huius Concilii ex nonnullis bonis atque urgentibus causis, & maxime attenda propinquitate Concilii Generalis non statim publicanda, sed futuræ commoditati reservanda esse judicârit *Noster*: ob id, ne distinctis quibusdam Clericis occasio subnasceretur existimandi, nihil in hac *Synodo* actum esse,

XI. *Mandatum ad Archidiaconos suæ Dioecesis* complectens eosdem prope Articulos, quos habita *Synodus* in suis *Canonibus* uberius enunciavit, ad Clericorum notitiam perferendum transmisit: alioque

XII. *Mandato ad Coepiscopos suos* misso, ut idem in Clero suo edocendo facerent, injunxit.

Quamvis verò *Cardinalis* noster optimo consilio, mente optima *Synodum* hanc coegerit, in eaque fide optima versatus sit; tamen exiguam inde gratiam *Paulo III.* inivit; sive quod is Pontifex minùs vera edoctus fuerit, sive *Noster* quidquam reapse in hoc negotio deliquerit; quod tamen vix credidem. Odericus RAYNALDUS in *Annal. ecclesiast. ad .a.* rem sequentibus narrat: „Dum tanta studiorum contentione celebrando in *Italia* Concilio oecumenico Pontifex incumberet, *Lutherani*, ad illud defugiendum, urgebant: ut à Germanica Natione tantùm in *Germania* cogeretur, nec paucos Catholicos in eam sententiam pellexerunt. . . In-empetivo igitur eo tempore habita est *Synodus* implissima a Cardinale“. . . Subjicit RAYNALDUS litteras *Pauli III.* quibus *Nostrium* redarguit, dicens: *Intelleximus, celebratam esse Synodum pronciamalem a te, Venerabilis Frater! Et, quod nobis scitum Et dignitas tua suadet, credere volumus, te nisi bono animo ac voluntate id fecisse; ut sciret venire posses cum tuis ad generale Concilium prome celebrandum, de tractandis in eo, instructior: Et tamen perpenderit Nobis præsentem rerum statum in Germania, præsertimque agitationem nationalis Concilii, a non paucis ipsius nationis quinquaginta factam, ut generale Concilium evitaret, parum visa est ea congregatio tam lætæ pronciae à te habita vel veteri tuæ prudentiæ vel quædam præsentium turbationum convenisse. Omnis enim*
Bibl. August. Alph. V. H istric

Istic congregatio hoc tempore periculosa est, multo- que magis ea, quæ & materiis propositis & personis admissis jus et terminos provincialium Synodorum ex- cedat; sicut hæc à te habita excessisse dicitur: ita ut speciem quandam nationalis Concilii referre visa sit, & ad nationalem quodammodo tendere. Relatum enim est Nobis (quod vix credere potuimus) multa fuisse in eadem Synodo coram te proposita & Fide erro- nea & a generalibus Conciliis antea reprobata: ad- missasque etiam personas, quæ nec jure, nec consue- tudine admitti debeant. Quæ res nobis gravem tum admirationem tum molestiam attulit, quod circum- spectio tua.. in hac tanti momenti re nec Nos an- tea consuluerit, et ita labi potuerit, ut coram te ta- lia pertractari, & tales admitti permiserit, nec cogitarit, quantum ab hoc exemplo mali oriri, & mu- lis ansæ præberi possit... Quamobrem hæc ad te scribenda duximus, non quidem ut te improbitate lapsum dicamus, quid enim tua pietate Nobis ex- ploratius? sed ut moneamus, & ut cautior sis in posterum, & des operam... ut ea, quæ in dictâ Synodo perperam tractata sunt, ultra non serpent... Romæ, V. Augusti 1537. anno 3.

Sed à RAYNALDO maxime dissentit sæpius a me citatus DALHAMIUS, famamque *Matthæi* no- stri sequentibus purgat: „Papa *Paulus III.* qui ab „anno 1534. usque 1549. Romanam Sedem tenuit, „ob acerbissimos in *Germania* Novatorum tumul- „tus, quodque *Germani* in sua patria molirentur „cogere *nationalem* synodum, ut alteram genera- „lem, à Pontifice indictam, securius aspernaren- „tur, animo pene collapsus, omnem ecclesiasticum „conventum in *Germania*, ceu erumpentis mali „signaculum, perhorrescebat, veluti et hanc sy- „nodam provincialem, a *Matthæo* Archiepiscopo

„anno

Anno 1537. *Salisburgi* habitam; maxime quod
 „*Matthæus* Archiepiscopus, ob plures præstitos *Lu-*
 „*thero* favores: ob *Staupizium*, ipsumque itidem
 „*Lutherum*, honestissimis conditionibus ad se invi-
 „tatum, visus fuerit clam *Lutheri* partibus patro-
 „cinari; uti plures Scriptores, *Schelhornius*, alii-
 „que asseverant; quamvis sapientissimus Præsul
 „sublimiori consilio id totum egerit, ut nempe
 „*Lutheri* ardores interciperet mitiori interventu.
 „*Acta* tamen huius *Concilii* non illico publicavit
 „*Matthæus* reverentiæ causa, nimirum ne gene-
 „ralis *Concilii*, jamjam instantis, præveniret de
 „iisdem rebus decreta; quam moram malevoli qui-
 „dam finistre interpretati dixerunt, synodum ip-
 „sam monstris, abhorrentibusque ab orthodoxo
 „cultu scatere sententiis, easque calumnias etiam
 „ad *Paulum III.* attulerunt, qui Pontifex, utut nec
 „ipse præstare se fidem diceret delatoribus, præcipi-
 „tanter nihilominus *Epistolam* ad *Matthæum* Ar-
 „chiepiscopum dedisse fertur ab *Odorico Raynaldo*
 „ad hunc ann. num 35. *Matthæo*, habitæque syno-
 „do valde injuriosam. Hanc tamen labem eis ab-
 „stergunt *Acta* ipsa et *Conclusa* intemerata huius
 „*Concilii*, quæ infra dabimus, et falsitatis, ca-
 „lumniosæque factæ accusationis esse convincunt. Et
 „si quis fortasse securius inter *subreptitias* abjie-
 „cerit hanc *Epistolam*, non obscuras referentem
 „notas spurisæ originis. Nam si Papa adeo tum
 „aversatus fuit religiosos conventus in *Germania*,
 „cur tacet de *Coloniensi* et *Moguntino* *Conciliis*,
 „pariter eodem tempore ibidem habitis? Cur ze-
 „lantissimus Pontifex, generali contentus repre-
 „hensione, non perstringit peculiariter errorum ca-
 „pita? Cur ait: *Matthæum* in posterum magis cau-
 „tam esse oportere, et non jubet ejurare offen-

„*fas, in Religionem iactas? . . . Sed hæc fortas-
se non vidit, nec ponderavit credulus Raynaldus;
de quo eruditi Critici in Galliis hoc tulere ju-
dicium: Il s' en faut bien, que sa Continuation
des Annales de Baronius soit aussi estimée. Il est
credule, exaggerateur, diffus, et mauvais Ecri-
vain.* Diction. des Savans. Tom. VI. pag. 134.“

Habes, Lector! de monumentis litterariis Car-
dinalis nostri, quæ inter si nonnulla minutiora
sint, tamen illa cum ob maximam Viri huius ce-
lebritatem, tum ob ipsam negotiorum, ad quæ
attinent, magnitudinem atque pondus nequaquam
prætermittenda duxi.

Præter citatos à me Autores, de *Nostro* in-
superagunt *Claud. FLEURIUS* in *Histor. eccles.* *Ioan-
nes PALATIUS* in *Fastis Cardinalium.* *Iacobus SCHREN-
CKIUS* in *Augustissimorum Imperatorum &c. verif-
simis Imaginibus. Oeniponti. 1601.* *AUBERYUS* in
Vit. Card. Felix CONTELORII in *Elencho.* *PAN-
VINIUS* de *RR. Pontif.* *Hieronymus GARIMBER-
TUS Petr. BEMBUS.* in *Epistolis.* *Bernard. VAPOWSKI.*
FUGGER in *Ehrenspiegel des Hauses Oestreich.* *Chro-
nicon Monasterii S. Petri Salisburgensis.* *ADLZREI-
TER.* in *Annal. Boic. & alii innumeri.* *Paulus* quo-
que *a STETTEN junior* in Libro: *Lebens - Beschrei-
bungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend, T. II.*
p. 73. Vitam *Nostri* fuse descripsit: Idem de *No-
stro* multa affert in Libro: *Erläuterungen der in
Kupfer gestochenen Vorstellungen &c. p. 89.*

Plures *Nummi*, clarorum *Nostri* facinorum
testes, videre est in *LEHMANNI Hamburgischen Re-
marquen, P. IV. p. 417. & P. V. p. 17.* item in
D. de MADAI Thaler - Cabinet.

MEICHSNERUS (*Ioannes*)

Ex vetustissima *Vindelicorum* urbe *Augusta* ortus, cum à litterarum et juris studio animum ad Reipublicæ cùram convertisset, primo privatim amicis ac clientibus consulendo, cavendo, scribendo utilem operam præstitit: postea, cum virtus eius & ingenium enituisent, Illustr^{mo}. Principi *Auiaco*, & Comitibus *Nassovicis*, deinde etiam *Spirnensi* Reipublicæ à *Consiliis* fuit. Tandem à *Circolo Franciæ orientalis* ad supremum *Affessoris* in Imperiali *Camera* honorem evectus est: in quo munere per annos XXV. (scilicet ab anno 1572. in annum 1596.) sanctè & cum summa æquitatis laude versatus, vestigiis clarissimorum *Ioachimi MYNINGERI à Frundeck*, & aliorum Jurisconsultorum assistens, privata annotatione conscripsit, quæcunque secundum varios causarum articulos in quætionem venirent; et vel Juri, Doctorum opinionibus controverso, illustrando: vel *Constitutionibus Imperii* dextre intelligendis: vel telæ judiciæ rectè ordinandæ conducerent. . . . adeoque *Opus* tam in *Theoria*, quam *Praxi* utilissimum concit.

Hunc ingenii sui fætum, uti & alia Scripta sua octissima uno ante mortem anno *Nicolao THESSERO Pomerano* discipulo suo, qui pro percipiendâ ordinis judiciarii cognitione, & addiscendo *summi Tribunalis Imperii* stylo sese in domum *Nostri* contulerat, ultro ac sponte donavit. Obiit autem *anno*, anno circiter 1597.

Post obitum *Nostri* quædam *Decisiones* spurix, MEICHSNERI nomen præferentes, circumferri cæserunt: quæ cum eius ingenio plane indignæ essent, memoratus *Nicolaus THESSMERUS*, magi-

sui sui famæ consulturus genuinas *Decisiones*, à Nostro sibi dono datas vulgare aggressus est. Prodiit ergo *Opus* hoc titulo:

Decisiones diversarum caussarum in Camera imperiali judicatarum, adjectis relationibus Actorum, collectæ à Ioanne MEICHSNERO Sc. Sc. nunc vero primum in lucem editæ. Tomus I. Francofurti ad Moenum. in folio. 1603.

Dedicavit Nicolaus THESSMERUS Henrico Iulio, Episcopo Halberstadiensi postulato, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi præviâ *Epistolâ*, in qua supra allatæ circumstantiæ Vitæ Nostri referuntur: & ampla laudum feget habetur, quibus æquitas Nostri studiumque eius tam *juridicæ* quam *litterariæ* Rebuspublicis inserviendi summopere prædicatur.

Eiusdem Operis Tomus II. Francofurti, anno 1604. in folio prodiit, à Ioanne Theobaldo SCHOENWETTERO Ioanni Swichardo Archiepiscopo Moguntino nuncupatus.

Eiusdem Operis Tomus III. Ibidem, & anno eodem in folio, luci datus, et abs Nicolao THESSMERO Friderico Ulrico, Brunsvicensium & Luneburgensium Duci consecratus est.

Eiusdem Operis Tomus IV. Ibidem. 1606. in folio, teste PUTTERO in Litteratur des deutschen Staats-Recht, T. I. p. 135. exivit.

Idem *Opus* anno 1603. in folio recusum fuisse Moguntia, testatur Mart. LIPENIUS in *Biblioth. jurid.* p. 50. & 128. Mox citatus PUTTERUS editionem aliam anni 1688. refert: laudatque non vulgariter *Opus* ipsum, adducens inter alia DECKHERRUM de *Cultu Juris cameralis*, c. 8. dicentem: Exhibentur in illis *Decisionibus* occulto quodam beneficio *Statuum Imperii* quorundam privilegia, præ-
tensio-

ensiones inter se , harum fundamenta rarissima , jura & consuetudines Germanorum ex recondita antiquitate huc delatae . Hæc quidem de *Ioanne MEICHSNERO* . Vixit autem iisdem temporibus et alius *MEICHSNERUS* , *Sebastianus* nomine , quem non omnino temere , *Augustanum* fuisse , suspicor ; *Jurisconsultus* , & Auctor (teste *Christ. Gottl. JOECHERO* in *Gelehrten - Lexicon*) sequentis Operis :

Das kayserliche und königliche Landt - und Lehn-Recht , Satzungen , Sitten und Gebräuche . in folio , Franchfurt . 1576 .

PONTANUS (*Iacobus*)

Iacobus PONTANUS (probe distinguendus à *Iacobo PONTANO Heidelbergensi* , à quo latine versus *Zachariae THEOBALDI Bellum Hussiticum* inter *FRENERI Script. Rer. Bohem.* extat) non patriam quidem at certe domiciliò *Augustanus* fuit ; nam & *Augusta* quam diutissime vixit : et ibi manens ingenii sui monumenta produxit in lucem : & ibidem , fatis suis perfunctus , diem clausit extremum . His de causis eundem *Bibliothecæ meæ Augustanæ* omnino inferendum putavi ; præsertim cum *Virum tantum* , quantus *PONTANUS* existit , a nemine hactenus satis pro meritis laudatum videam .

Iacobus noster *Brixia* , regia *Bohemiae* urbe , (vulgo *Brüx*) aliis *Ponti* , unde illi & *PONTANI* nomen hæsit , et si ex patre *Spanmüllerus* vocaretur , anno reparatæ salutis 1542 . in has luminis auras natus , sed in *Germania* educatus , postquam ad eam ætatem pervenit , quâ stabile vitæ institutum amplecti ferme mortales solent , anno Christi 1563 . ætatis vero suæ 21 . in *Societatem Iesu* , a se labentibus annis tum doctrinæ excellentis laude , tum editis ingenii clarissimis monumentis mirum ! quan-

tum illustrandam recipi petiit, &, licet ægrè, re-
nitente videlicet patruo, in cuius tutela mortuis
parentibus erat, recipi meruit. Quo in loco illud
observandum bene est, quod *Historia Societatis Ie-
su Provinciæ German. superior. T. IV. p. 330.* mo-
net: *Primus notatur eorum PONTANUS, qui ad So-
cietatem in Germania hac nostra ab anno 1563. ad-
iuncti fuerunt, quæ Provincia nostra avulsis, quæ
hunc Austriacæ, Bohemicæque sunt Provinciæ, Col-
legiis, superioris Germaniæ nomine constituta desi-
nataque est: Et primus Tyronum nostrorum, tum qui-
dem pauciorum, coetus probationibus exerceri in com-
mune Monachii cæptus est.*

Memorat *Faustinus PROCHASKA (a)*, *Jacobum PON-
TANUM Brixiensem Bohemum, Edmundi CAMPIA-
NI (b)* institutionibus plurimum profecisse. Verba
Faustini hæc sunt: *Edmundus Campianus . . . litte-
rarum atque sanctimonix laude juxta inclytus, item-
que extemporatis in rostris Orator, idem in scenis
Poëta, multorum Bohemorum ingenia potiori elo-
quentia excoluit; namque in eius, Pragæ Rhetori-
cen docentis, institutione Jacobus PONTANUS Brix-
ensis Bohemus formatus est, venerabilis Vir mira-
culo litterarum. Sed huic PROCHASKÆ testimonio
fidem adungere, chronotaxis vetat. In confesso
est, Nostrum anno 1542. natum esse: CAMPIANUM
autem primum post annum 1573. Pragæ docuisse.
Scriptores consentiunt. Debuisset ergo PONTANUS,
jam annos 31. et plus natus, ad discendum se
contulisse: Quod quam vero dissimile sit, quivis
videt.*

(a) In Libro: *De liberalium Artium in Bohemia et
Moravia Fatis. p. 361.*

(b) CAMPIANI laudes perscriptas habes in ALLEGAM-
BIO & SOTVELLO: item in PITSÆI *Scriptor. Angl. & illi-
WOOD Athenis Oxoniens.*

idet. Interim istud referre volui sola PROCHAS-
Æ autoritate; penes quem fides sit, donec cer-
ora eruantur.

Neque obscuritati huic major lux ex Libro :
Effigies Virorum eruditorum . . . Bohemiæ , T. I. p.
9. accedit; ubi dicitur: Cum idoneos litterarum
udiis annos attigisset PONTANUS, Pragam missus,
in contubernio Patrum Societatis Iesu elegantiores
disciplinas perdidicit. . . . Cum Bavari & Bohemis
magistros humaniorum litterarum exposcerent, ed,
ix tyrocinium egressus, anno 1566. Superiorum mis-
su concessit. . . .

Quomodocunque ista sese habuerint; PONTANUS
societati additus, in ea mansuetiorem litteraturam
pud Germaniæ socios excolere primus et prove-
ere in maius cœpit. Iam anno 1578. in gratiam
udiofæ juventutis Rochi Perusini de scribenda et
describenda *Epistola Libellum* imprimi Dillingæ fe-
it; uti inferius in *Catalogo Operum Nostri N^o. I.*
luribus exponetur. Idem primus in Gymnasio
Iugustano ad *S. Salvatorem*, quod anno 1581. ori-
inem habuisse ex *Annalibus patriis* discimus, hu-
manitatis ac mox *Rhetoricæ* scholam cum *Wol-*
ango Starckio, officii Collega, aperuit. Idem *sep-*
tem e: viginti annos (Alii omnino triginta ponunt)
scholastica in palæstra ita est versatus, ut quam-
lurimos non externorum solum, sed etiam *Socio-*
rum seu domesticorum, qui a religioso tyrocinio
recentes *Augustam* quot annis ad *Rhetoricæ* studia
vitebantur, optimis præceptis erudiverit. Juvat
orum e numero, exempli gratiâ, unum appella-
e *Matthæum RADERUM*, de quo mox post PON-
ANUM agam. Omnes autem illos non hortatu
ragis, quam exemplo suo ductuque ad Musas amæ-
iores colendas extimulabat.

Itaque, quod *Gregorio ROSEFFIO*, cuius æque laudes in præsentem *Alphabeto* descripturus sum, uenice in votis fuerat, maximo opere litterariam amplificavit rem: sibi que magnam nominis famam peperit: dein et ipsi *Societati* Viros doctissimos dedit: scholis denique *Societatis* gratiam existimationemque singularem comparavit; idque non apud Catholicos solum, sed etiam A catholicos, qui vulgatos ab eo libros alteris typis excudere, scriptorumque eius ab se editum volumen uni de præcipuis Romani Imperii Principibus dedicare non dubitarunt, mirifice PONTANI latinatam prædicantes. Quid quod suis etiam in scholis *Dialogos* illius, *Progymnasmatum Latinitatis* nomine notiores, velut pro *M. Tullio Cicerone* proposuerint?

Senatûs vero, Populique *Augustani* quam fuerit insigne de PONTANI Lucubrationibus iudicium, ex eo proclive est conijcere, quod modo narraturus sum. Conscripserat *Noster*, vetustus Collegii *Augustani* incola, antequam diuturno Rhetorices ludo, Moderatorum voluntate egrediens rudem acceptaret. *Symbolas in omnia VIRGILII Opera* (V. inferius in *Catalogo Opp. Nostri*, n^o. V.) *septemdecim* Libris comprehensas. Has anno 1599. *Augustano* Senatui dedicavit tam æstimatas eruditus Viris, quos *Augusta* magno semper numero protulit, atque etiamnum (Absit dicto invidia!) profert editis etiam monimentis celebres: tamque ab his Magistratui commendatas, ut is perpenso, quantum à PONTANI lucubrationibus toto orbe laudatis et nominis *Augustanæ* Republicæ, et urbanæ juventutis, ad politiores litteras educatæ, commodi accessisset, pro ea, qua semper et eruditionem et eruditos complectitur, humanitate non solummodo florenorum *bis centum liberale Honorarium Collegii* mife-

miserit; sed maius etiam, utpote in ævum stabile, beneficium adjecerit: dum videlicet annuum vectigal, quod pro concesso ad domesticos usus aquæ ductu exigi poterat, tolerabili transactione potissimum partem relui permittit, ac legitimis tabulis, quod transactum erat, perpetuo valiturum roboravit (c). Et hæc quidem Senatus erga PONTANUM benevolentiam acciderunt, haud dubie à *Marco VEL-SERO* excitata, cuius animo tanta inerat eruditionis *Nostri* opinio ac fides tanta, ut eundem supparem *LIPSIUS SCALIGER* opue, vel superiorem etiam reputaret. Quod Viri, tantam litterarum gloriam, tantam prudentiam præditi iudicium quantum *Nostro* honoris afferat, quis non videt?

Hæc inter *Noster* tria solennia vota anno 1589. die 23. Decembris professus fuerat: et jam, addito integro decennio, ad ætatem prope sexagenariam provectus, quietem anhelare videri poterat. At contra ille, tantum abfuit, ut de amore, quod ferebatur in litteras, quidquam remitteret; ut potius, emenso licet scholastico pulvere, horam *græcis prælectionibus* destinatam domi foreisque susceperit; imo ad graviora etiam severioraque studia sese contulerit. Etenim tum maxime in *Græcorum Patrum, Scriptorumque sacrorum ac profanorum* Operibus interpretandis edendisque operam ponere cœpit. Qua re effectum est, ut Ecclesiam egregiis Veterum lucubratiombus instrueret; et Historiæ, *Orientalis* inprimis Imperii, lucem permagnam afferret; denique de litterata Republica in univrsam quam cumulatissime mereretur. Neque tamen hoc impedivit, quo minus artes humaniores magis magisque pro virili sua illustrare pergeret;

(c) Hæc iisdem verbis *Historia S. I. Provinc. German. Super. T. II. p. 300. & T. IV. p. 330.*

ret; namque postremis vitæ suæ annis OVIDII Libros de *Tristibus* & de *Ponto* itemque *Metamorphoseon* egregiis Commentariis ornavit, multaque alia, ad politio-rem litteraturam spectantia, foras emisit. Sic senio tandem suo, studiisque Dei causa susceptis succubuit PONTANUS, *Augustæ Vindel.* die 25. Novembris, *D. Catharinæ Martyri sacra*, anno 1626. ætatis 84. Religionis 63.

Obiit autem morbo yelicæ, quem acerbissimum pridem passus fuerat, ad extrema redactus, ipso *S. Catharinæ* illucescente festo die, quem sibi fatalem fore, *Noster*, nullo licet tum periculo admonitus, *Leopoldo* Archiduci *Austriæ*, forte *Augustam* transeunti, prædixerat; ut connotatum reliquit *Historia Soc. Iesu Provinc. Germ. super T. IV. p. 331.* ex qua ipsa insuper discimus, *Nostrum* tanta etiam apud A catholicos existimatione floruisse, ut ei, è vivis erepto, honoris causa epitaphium scripserint.

Fuit *Noster* (ut de moribus eius pauca assuam) miro erga Majores suos, in decrepitam usque senectutem, animi candore & ingenua sinceritate. Erga omnes singulari quadam morum suavitate (quod litteratis in hominibus rarius esse solet) & jucunda amœnitate promiscue utebatur, acceptus cunctis vicissim domi forisque. Etsi maximi ab universis æstimaretur, ipse post se ducebat neminem, obsequi & parere, quisquis esset, paratus: ingenio, quanquam acri cultoque, tractabilis omnibus ac docilis: offensionis nihil vel dans cuiquam, vel accipiens. Nemini se præferebat: neminem, qui in rebus litterariis ab ipso dissentiret, in opinionem suam vi et velut manibus trahebat; qua agendi ratione omnium existimationem sibi tantam conciliavit, ut et omnis litteraturæ politioris arbiter, et.

et modestiæ exemplum haberetur. Domesticæ res usu nil ultra communem modum, ne jure quidem emeritiæ fessæque ætatis, nedum senilis fastidii licentiâ, arrogare sibi unquam visus est. Sollicite imprimis cavebat, ne quid detrimenti addictus divinis rebus animus, ne quid vitii spiritus Religionis per profanas caperet litteras. Rerum denique mortalis vitæ, præterquam litterarum & quæ religiosi essent instituti, adeo nulla tangebatur cura, ut extra humanæ consuetudinis officia vix quidquam, nisi libros, humumque spectarit, Igitur, quod *Hieremias DREXELIUS* de illo (d) retulit, *ætatem omnem, ad ultimos usque vitæ dies, legendo ac scribendo duxit, re vera libris immortalus. Nec enim calamum ante posuit, quam fatalis lestulus & chartis, quibus perdiis et pernox inhærebat, avocaret.* Et rursus ait: *Dignissimus senex, qui in Parnasso inter Libros conderetur immortalis memoriâ, quam sibi scriptis peperit (e).*

Et quoniam huc delapsa est oratio, quid jam de doctrina *Nostri* meritisque in Rem litterariam dicam? Fuit PONTANUS in litteris humanioribus quam exercitatissimus, quarum etiam ludum à principio pro *Societate Augustæ* qui aperuerunt, horum unum se fuisse gloriari in limine alicuius libri a se editi non omisit.

Latini sermonis scientiâ quantum excelluerit, tum omnia eius Scripta commonstrant, tum maxime *Progymnasmatum* sive *Dialogorum* Opus, quod Superiorum, creditam sibi juventutem hæc maxime viâ (legendis scilicet ac prælegendis Dialogis) ad Romanam civitatem aptissimè deduci posse judicantium, imperiò conscripsit. Certe in his tam nitida tersaque Latinitate usus est *Noster*, ut illa

(d) In *Aurifodina* P. I. c. 6.

(e) Hæc omnia verbatim *Historia* S. I. Sc. T. IV.

la non solum domesticorum, sed et externorum calculos tulerit, *velut merum papaver ac sesamum* (Ipsa eorum verba interpono) habita.

Græcæ autem linguæ peritiam passim in Scriptis suis ostendit; tum etiam *Græcorum* Auctorum lucubrationes interpretando quam luculentissime comprobavit. Quare Liber: *Effigies Virorum eruditiorum Bohemiæ T. I. p. 49.* commeritum istud encomium *Nostro* scripsit: *Peritissimus erat sermone tam græci quam latini; quo postremo tam nitide, tam eleganter scribebat, ut eius oratio proxime ad veterum Romanorum præstantiam accedere videretur. Eruditione vero fuit tanta, ut nihil prope ipsi vel in sacris, vel in profanis disciplinis esset incognitum.*

In arte poëtica quantum valuerit, Liber *Institutionum poëticarum & Tyrocinium poëticum*, à *Nostro* edita, satis declarant. Habes in hoc posteriore opusculo *Carmina Nostri*, & hæc inter non pauca, quæ oblata occasione, nomine *Collegii Augustani*, conficere à Superioribus jussus fuit; quod *Nostri* in id opera illis aptissima videretur: uti in obitum *Othonis TRUCHSESSII*, & *Ioannis Egołphi & KNOERINGEN* Episcoporum *Augustanorum*; *Alberti Bavaricæ Ducis*, ad *Guilielmum* filium; in inaugurationem *Marquardi h BERG* Episcopi *Augustani &c. &c. &c.* Naturali autem quadam propensione in Musas ferri se, ultro professus est in *Dedicatione ad Poëticas Institutiones*. Quare & in legendis veteribus Poëtis strenuam operam posuit. *VIRGILIO* imprimis, quem suum plane vocat: *cuius sincerissimum subtilissimumque iudicium, elegantissimum acerrimumque ingenium, cumulatissimam industriam, abundantissimam cognitionem, excellentissimam eloquentiam* deprædicat (*f*): *quarum dotum suaves veluti &*

ambro-

(*f*) V. Præfationem *Nostri* in *VIRGILIO* à se editam.

rosos odores jam olim in Marone trahendo et in gymnastica palæstra explanando sentiens, ac tempore ocedente hauriens uberius, ita Virgilium amplevit inque deliciis habuit, ut de Poëtis nullum vel pius sibimet legerit, vel liberalius prædicarit aliis, cupidius auditoribus explanârit." Subjungit: *Iam idem de eo sentire, et parva immutatione assevera-* complacitum est, quod . . Fabius de Cicerone, de e Ciceroni deditis doctæ ac verè pronuntiavit: *Is profecisse sciat, cui Virgilius valde placuerit. t interdum aliquantillum tacito in sinu gaudeo: ideo-* e non luisse me operam, aut ventos captasse confi-, quia istis Mantuanis cantibus immane! quan- m, vehementissimeque delinior.

In Philologia versatissimum fuisse Nostrum, stimonio apertissimo sunt, tum Libri eius univer- n omnes, tum singillatim *Attica Bellaria, & Phi-* calia eiusdem. In priori certè *Historias vetustas* recentes, publicas ac privatas: ritus, consuetudi- s, mores populorum: dicta, factaque memorabilia: vstantissimos belliduces, eorumque stratagemata: re- um insignium scholâs, milleque alia attulit. In po- eriori autem Noster, cum inexhaustum studium & ligentiam incredibilem PLINII, qui in Opere nobi- ssimo, quod Historiæ naturalis titub compellavit; c centum Auctoribus, percursis bis mille dorum vo- uminibus, viginti millia rerum (ut loquitur) curâ ignarum conclusit, sæpius admiratus esset, eiusque istitutum magnopere probaret; quidpiam non admo- um absimile efficere conatus est: dum ex antiquis et centibus, sacris et externis Auctoribus bene mul- s, quos partim legerat, partim percurterat, rerum xti dignarum corpus mediocre quoddam confecit. iculentis adnotationibus illustratum.

Silentio prætereo alia doctrinæ in *Nostro* decorata, ne iusto longior sim. Istud continere me nequeo, quin addam: PONTANUM eruditionem cum pietate, laudabili admodum instituto, miscuisse. Pianaque permulta scripsit, aut à Græcis deprompta Auctoribus latinè traduxit: quorum alia lucem viderunt, alia quo minus viderent, fata obstiterunt. Quin etiam illa quodam pietatis sapore imbuta sententias opuscula, quæ stylo accuratissimo, summaque orationis venustate in litterarum commendationem, atque in scholasticæ juventutis gratiam concinnavit.

Ne vero, quæ hucusque attuli, jactantius quam verius à me disputata fuisse, quisquam dicat, Eruditorum tum PONTANO æqualium, tum quos postera tulit ætas, judicia dictaque in medium proponam. Quis sensus *de Nostro* tum *Marco VELSERO*, tum Senatui *Augustano* universo fuerit, supra audivimus. Accedit *Justus LIPSIVS*, qui eum *Virum eruditum ac disertum* (g) in Epistola ad *RAEDERUM* data vocat. Et in alia, ad ipsum PONTANUM anno 1598. 10. Cal. Febr. scripta: *In summo hoc frigore, inquit, calfecit me tamen amica tua scriptio, mi PONTANE! Et excitavit non ad scribendum solum, sed ad redamandum. An non? Talem Virum. Inclino jam diu, Et ipse, quod tu voluisti, volui, ex quo scripta tua prima vidi. . . Ab eo tempore. . . Et memoria tui inhæsit Et probatio Et c.* Hæc *LIPSIVS*. Celeberrimus autem *SCALIGERUS* quam honorificum de *Nostro* iudicium tulerit, paulo post dicitur. *Heremias DREXELIVS* quali encomio eundem tractarit, supra percepimus. *Petri STEVARTII, & Laurentii BEYRLINCKII* laudes, quibus *Nostri Opera* affecerunt, inferius in *Catalogo Operum* suis locis habes.

In-

(g) *V. Justii LIPSII Opera, Antwerpæ, 1637. T. II. p. 130. a Et 131. b.*

Simocatte (h). *Idem Tom. II. P. III. p. 94. Nostrum claris Grammaticis Latinis accensens ait; Il a fait divers Ouvrages, qui regardent la Grammaire, dont le principal est, ce semble, celui des Exercices de la Latinité, qui comprend quatre Volumes des Dialogues.... Il les a écrit pour exercer son style, qui est pur, & pour tâcher de former celui des autres (i).... Rursus in memorato Tomo, p. 413. inter celebres Versores Latinos locum Nostro dans inquit: Ses principales traductions sont celles de l'Histoire de Jean Cantacuzene, de Theophylacte Simocatte, de George Phranze &c. &c. &c. &c. Nous avons remarqué ailleurs, que le style de ce Pere est assez pur, et d'assez bonne Latinité. Mais les Critiques sont partagés sur le jugement, qu'on doit faire de ses Traductions. Car il est blâmé par les uns, et loué par les autres, d'avoir pris un peu plus de liberté, que les Traducteurs scrupuleux n'ont coutumé d'en prendre: & d'avoir retranché dans quelques-uns de ses Auteurs, surtout dans George Phranze diverses digressions, qui lui ont paru assez inu-*

(h) Fuit PONTANUS unus ex illis, quos Societas habuit Humanitatis litteris eruditissimos. Extant ab eo plures Versiones scriptorum Græcarum cum notis & correctionibus: item Philocalia, sive decem Libri Collectionum ex Auctoribus ecclesiasticis & prophanis: duo Volumina Commentariorum in Ovidium: XVII. Libri Explicationum in Virgilium, in folio. Lugduni. 1601. ut diversa alia ad Philologiam spectantia Opera sileam. SCALIGERUS duo præ aliis PONTANI Opera magni fecit. 1. Virgilium eius; quod in omnis generis res collegisset: 2. Ea, quæ idem in Historiam Theophylacti Simocattæ scripsit.

(i) Diversa composuit Opera ad Grammaticam pertinentia, quæ inter eminere videntur Progymnasmata Latinitatis, quibus quatuor Dialogorum volumina continentur. Scripsit illa, ut stylum suum, purum illum ac tersum, exerceret: et alios eodem stylo uti doceret.

inutiles (k) Verùm à duplici hac accusatione labores suos PONTANUS in *Præfationibus*, iustis rationibus redditis, in antecessum purgavit. Denique BAILLETUS in *Tomo III. P. I. p. 205. de Nostro* in hæc verba scribit : PONTANUS *fort. versé dans les Humanités, et plus capable de juger des bons Vers, que d' en faire, a donné en latin trois Livres d' Institutions poétiques, qui ont été bien recuës du Public; comme il paroît par les diverses éditions, qui en ont été faites en Allemagne & en France. Il a fait encore un Traité sur cet Art sous le titre de l' Apprentissage de la Poétique* (l). Hæc BAILLETUS de PONTANO nostro, quæ prolixius à me relata esse, minime injucundum tibi, benevole Lector ! accidisse arbitror; tum quod ad gloriam *Nostri*, et veram doctrinæ eius imaginem depingendam insigniter faciant : tum quod à Viro *Critices* peritissimo proficiantur, cuius iudicia adoptare tutò nobis licet.

I 2

Quod

(k) *Inter præcipuas eius Versiones numerandæ sunt Historia Ioannis Cantacuzeni, Theophylacti Simocattæ, Georgii Phranzæ &c.* (Hic interponit BAILLETUS Versiones à Nostro adornatas) *Observavimus alibi, stylum Patris huius satis purum, & probe latinum esse. At variant inter se Critici, quid de eius Versionibus sit sentiendum. Vtuperatur namque ab aliis, ab aliis laudatur; quod paululum majorem, quam scrupulosi Versores assolent, licentiam sibi arrogarit: et in aliquibus suorum Auctorum, præcipuè in Georgio Phranza varias digressiones, sibi inutiles visas rescãrit.*

(l) PONTANUS in *Humanioribus* multo *versatissimus, & dijudicandis aptior Versibus bonis, quam componendis, edidit latine Libros tres Institutionum poeticarum, quas Respublica litteraria benigne excepit; id quod ex variis editionibus in Germania, Galliaque adornatis patet. Conscripti etiam Tractatum de hac ipsa Arte sub titulo: Tyrocinium poeticum.*

Quod si quis nōsse avet, quibus modis quibusve viis ad tantam litterarum gloriam eluctatus sit PONTANUS, is sciat, hoc duabūs rebus effectum esse: stupenda nimirum industria, quæ omnem laboris fatietatem à *Nostro* excludit: & singulari, quo aliis prodesse satagebat, studio. De laboris tolerantia in PONTANO, ad summam senectutem usque ab eo continuata, tum supra dictum est: tum suis eam verbis ipse confirmat, dum in *Præfatione* ad VIRGILIUM suum: se illos Commentarios non sine navitate et defatigatione multa concinnasse; dum opus hoc grave, atque perdifficile, *Atlantæis-que subeundum humeris* appellat; dum *Præfationem* ad *Metamorphoses* OVIDII hisce orditur: Quos Deo opt. max. litterarum nostrarum auspice, duce, comite, post varios casus, post tot discrimina rerum, ac spes & desideria multorum in longum producta, nunc tandem foras expromimus Ovidianarum *Metamorphoseon Libros* &c. &c.

Singulare autem, quo aliis prodesse quam maxime cupiebat, studium rursus ipsa illius verba liquido produunt; dum in citata *Præfatione* ad *Virgilium* ait: *Postremo incitavit me ad hanc provinciam suscipiendam utilitatis litterariæ, per liberalem artium cultores disseminandæ, flagrantissimum desiderium, quod cum frequens præ me tulerim, frequens præ me feram*; dum non tam propriam gloriam, quam Lectorum suorum utilitatem sibi propositam habuit; unde in *Præfatione* ad *Ovidium* monet: *Trecentos testes et auctores in unam eandemque rem advocare ut ad gloriolam speciosum, sic ad fructum supervacaneum duxi*; dum in *Præfatione* ad *Institutiones* suas poëticas palam & aperte profitetur: *Interea laboribus hisce meis utantur & fruuntur, licet, Poëticæ Candidati; donec alius quispiam plura,*

plura, meliora, & omni ratione aptiora gratioraque adiderit. Quod ego non solum non timeo; quin etiam ut id fiat, & me tum vivente, tum vita defuncto fiat, magnopere Deum rogo: cuius munus agnosco, quidquid profum litterarum amatoribus. Prodesse autem tam concupisco, quam me hominem natum esse gaudeo.

Accesserunt ad hæc duo plures circumstantiæ aliæ perquam accommodæ; videlicet propensa Superiorum voluntas: Virorum eruditissimorum amicitia: denique *Maximiliani, Bavaricæ Ducis*, favor singularis.

Certè Superiores videntes, quantum Societatis, quantum novæ Provinciæ, novique Gymnasii interesset, litteras, quoad eius fieri posset, quam altissimè provehere, PONTANO sua sponte currenti calcar addidisse, eiusque conatus modis omnibus adjuvâsse, nil est, quod dubitem. Huc Præsidum, ingenio hominis sapienter se conformantium, mandata: huc ROSEFFII (ut supra monui) vota spectabant, ut PONTANUS humanitatis bonarumque litterarum disciplinam, quantum id efficere posset, excoleret, poliret; perficeret. Sic factum, ut eius studia Deo secundante, natura officiique munere trahente ad summum apicem pertigerint.

Ex amicitia autem, quam cum Viris ætatis suæ doctissimis coluit PONTANUS, maximum percepisse fructum credendus est. Horum præstantiores nonnullos nomine vocare, haud abs re erit: uti *Iustum LIPSIIUM*, de quo superius mentio incidit: & cuius laborum admiratorem æternum (*) vocari se, *Noster* non erubuit: *Andream SCHOTTUM*, qui *Nostro* Codices suæ Bibliothecæ manuscriptos communicavit, multaque, ut credere oia-

nino fas est, monuit: *Abrahamum ORTELIUM*, Geographorum sui sæculi haud dubie perfectissimum, qui geographicæ Tabulæ, *Aeneæ* itinera maritima exhibentis, ac proinde ad sex priorum *Æneidos* librorum intelligentiam plurimum idoneæ, imitandæ ac recudendæ potestatem uno anno, priusquam ab hominibus demigraret, PONTANO humanissime concessit: *Antonium MURETUM*, de quo etfi non habeam, quibus studia *Nostri* adjuvâr; tamen eum PONTANO amicissimum fuisse, illumque *mirabiliter amavisse* binis litteris, quæ cum reliquis MURETI extant, certissimum edoceor: *Jacobum GRETSE- RUM*, qui Græcos Auctores à *Nostro* in latinam linguam conversos Adnotationibus doctis, eo rogante, correxit, illustravit, ornavit. Quid jam de *Marco VELSERO*, splendidissimo illo urbis & reipublicæ *Augustanæ*, immo universi litterati orbis sydere, litterarum juxta ac litteratorum omnium amico communi dicam, quem in eadem urbe, inque eodem ferme studiorum genere cum PONTANO versantem, insigni in omnibus adjumento amico suo extitisse non puto solum, sed et scio? VELSERUS in edendo *Ioanne CANTACUZENO Nostro* eximiam opem tulit; quod *Christophorus ARNOLDUS* (m) sequentibus narrat: *Iac. Pontanus in Annotationibus suis ad Io. Cantacuzeni Historiam monuit, principium Epistolæ, sive titulos, quibus Imperatorem cohonestavit, linguâ veteri scriptos esse: reliqua omnia linguâ, quam nunc vulgare Græcum appellant. Itaque studio M. Velseri factum, ut ea ab homine Græci, et scholastici et vulgaris, perito redderentur Græco puro puto sermone; quod Pontanus in latinum vertere posset.* VELSERO auspice *Noster S. Cyrillum*
in

(m) In *Vita VELSERI*, præmissa *Opp. eiusdem Norimbergæ* excusis annò 1682.

In *Prophetas minores* luci dedit. VELSERO (nil dubito) curante *Noster* Codices MSS^{tos}. quorundam Scriptorum græcorum, quos Latio donavit, & Bibliotheca Reipublicæ *Augustanæ* obtinuit. VELSERUS lucubrationibus PONTANI id honoris habuit, ut & *Florida* illius, & præcipue eiusdem *Virgilium*, Opus elegans & magnificum, inclyto suo e typographæo, ad *Insigne pinus*, produxerit: ob quod ipsum PONTANUS in prævio *Carmine eucharistico* sic canere voluit:

Quo tibi, MARCE! rear contingi corda lepore,
 Quæ tibi, quæ tacitam suffundere gaudia mentem?
 Palladia dum se circum glomerante caterva
 Et portante manu florentia lumina flammis
 Aspicias æternum in vulgus prodire MARONEM.
 Gaudet ut ipse sibi? ut se sontemplatur? et illa,
 Quæ Cæsar, quæ Mæcenas, quæ Pollio quondam
 Contulerant, nil esse putat sestertia, præ quæ
 Ingenii se nunc opibus pernoſcit honorum (n)?
 Quacunque incedit, loca fervent omnia plausu:
 Cantibus Aonides, fidibus lætatur Apollo:
 Tamque novam ingenti famam gratantur alumna.
 Quique ita stipatum, populi facis esse Poetam
 Aere tuo, Tibi, MARCE! omnes optata precantur,
 Atque tuum sublime ferunt ad sydera nomen.

MARCE! meum columen! Charitum flos; gloria
 Musæ!

Ante alios omnes quem diligit inclyta virtus,
 Perge stylo dulci, sumptuque ornare Camoenas.

Colophonem addidit *Maximiliani*, *Bojorum*
 Ducis, singularis in *Societatis* alumnos favor & mi-

rus erga litteras amor, quibus actus Princeps ille serenissimus Societatis domesticis potestatem liberaliter atque ultro concessit, e voluminibus gratis calamo exaratis, quorum in Bibliotheca sua lectissimam habuit copiam, deprecandi, et ad communem usum emolumentumque, cuius incenso tenebatur desiderio, interpretandi, quacunque placuissent. Hac Ducis maximi gratia excitatus quoque PONTANUS haud diu cunctandum sibi duxit, quin et ad istud studii genus sese conferret. Quare incidens in Ioannis CANTACUZENI Historiam, quod ad gustum sententiamque suam nihil accommodatius, nihil ad prima laboris huius tentanda pericula, propter Auctoris in scribendo facilitatem, opportunius nancisci posse se crediderat, in illo latine convertendo laborum, quos in hoc litterarum genere postea exhaustit, initium fecit.

Habes, Lector benevole! quæ ad Vitam, mores, doctrinam, doctrinæque adjuncta in *Nostro* attinent. Iam elenchum Operum ab eo conscriptorum, sive editorum sive ineditorum, accipe non nudum illum atque simplicem, sed Virorum eruditorum sententis variisque observationibus comptum.

Catalogum Operum à PONTANO aut editorum, aut conscriptorum daturus, ab lucubratione ordiar, quæ Auctores, quotquot de *Nostro* scripsere, penitus fugit, primaque à PONTANO in lucem emissæ fuisse videtur. Huic mox subdam aliam, quæ, sæpissime repetitis procusa typis, nomen *Nostri* famamque per totam late Germaniam circumtulit. Itaque chorum ducat

1. *Rochi Perusini de scribenda & rescribenda Epistola Liber plurimis locis studiose emendatus atque distinctus; multis præterea necessariis capitibus, utilissimisque annotationibus et scholiis locupletatus à Iacobo PONTANO à Societate Iesu. in 8°. Dillingæ. Excude-*

videbat Ioannes Mayr. 1578. In Præfatione ad litterarum politiorum studiosam juventutem exponit, quid in edendo Libro isto ipse præstitit, his verbis: Nos cum circumspiceremus pæne omnes, qui de ratione efficiendarum Epistolarum aliqua præcepta tradiderunt, Rochum PILORCIUM Marfianensem, civem Perusinum, magistrum satis idoneum fore statuimus. . . . Igitur non pauca emendavimus: multa concinniora reddidimus: stylum nonnihil limavimus: sectionibus distinctionibusque adhibitis, confusis et perturbatis ordinem, obscuris lucem afferre conati sumus: capita pristina hinc inde supplevimus: insuper sex supra viginti nova prorsus, tum ex illustrium Scriptorum sententiis, tum majorem partem nostro Marte confecta addidimus: scholia quoque, si minus erudita. . . . saltem non omnino infrugifera passim inseruimus &c. Tractatio hæc sæpius recusa fuit.

II. *Progymnasmata Latinitatis, sive Dialogi, numero CCC. Volumen I. in 8º. Ingolstadii. Excudebat David Sartorius. 1588. Dedicatio à Nostro data est Augustæ, ad ornatissimum Adolescentem Georgium FUGGERUM, Jacobi filium, Baronem in Kirchberg &c.*

Volumen II. 8º. Ingolstadii. 1589. Inscrispit Noster SS^{mis} utriusque Bavarix Principibus, Palatinis Rheni, Philippo & Ferdinando.

Voluminis III. Pars prior. in 8º. Ingolstadii. 1592. Nuncupavit Noster RR^{mo}. & Illustr^{mo}. Principi Wolfgango, Præposito Euvacensi.

Voluminis III. Pars posterior. in 8º. Ingolstadii. 1594. Dedicavit Noster Iovanni Othoni de GEMMINGEN Episcopo Augustano.

Hanc principem editionem secutæ fere innumerales aliæ, utpote Libri scholarum usui destinati; quas referre singulas haud vacat. Satis itaque ha-

beo, urbes nominasse, in quibus illas factas esse inuenio. Dedit eas *Ingolstadium*: dedit *Colonia*: dedit *Francofurtum*: dedit *Moguntia*: dedit *Dillinga*: dedit *Augusta*: dedit & *Lipsia*, quamplurimas.

Progymnasialis autem istis omnia fere, quæ in consuetudinem usumque communem incidunt, sermone puro latinoque complexum esse Nostrum, testatur ALLEGAMBIUS. Petrus STEVARTIUS Theologiae in Academia Ingolstadiensi Professor celeberrimus, puritatem, proprietatem, elegantiam latini sermonis, dein et doctrinae gravitatem erudiendæ juventuti catholicae utilem cum primis et necessariam in iisdem colaudat. Dan. Georg. MORHOFIUS in *Polyhistore T. I. p. 244*. Editionis *Lubecensis*, anni 1747. eorundem his meminit verbis: PONTANUS *Progymnasmata in lucem edidit, quibus, per rationem colloquiorum, varia proponit in usum linguam latinam addiscere cupientium, ac eorum, qui antiquitatum aliarumque rerum notitiam sibi parare velint.* BAILLETI de hoc Opere iudicium habes superius p. 130.

III. *Poeticarum Institutionum Libri III. Eiusdem Tyrocinium poeticum.* in 8°. *Ingolstadii. Ex typographia Davidis Sartorii. 1594.* Dicavit Noster Joanni Conrado de GEMMINGEN Coadjutori *Eichstetzensi*. In *Præfatione* dolet „disciplinam poeticam „nondum satis idoneè appositèque sive a Græcis sive a Latinis pertractatam fuisse ac illustratam. „*Aristotelem* obscurum esse: *Horatium* non tam via „quadam ac ratione certa persequi voluisse poeti- „cen, quam poetarum ævi sui errores castigare: „*Scaligeri, Vidæ, & aliorum* Commentarios mis- „sos se facere, hocque solum et affirmate asseve- „ranterque pronunciare: qualescunque sint et quan- „tumcunque copiose, subtiliter, acute poetice ex- „plicarint, nihilominus eorum neminem ita scrip- „sisse

„fisse, ut optandum fuisset maximopere: ut, velut
 „in cæteris studiorum liberalium doctrinis cæteri,
 „quanquam recentiores; sic ipsi quoque in hac per
 „gymnasia discentibus verum et commodum ad He-
 „liconem iter ostenderent: ac proinde artis præ-
 „cepta a magistris commode ac dilucide explanari,
 „et ab auditoribus, ad solidam gloriam & poematum
 „confectione pariundam, penitus combibi possent.
 „Itaque se hoc laboris, in studiosæ juventutis emo-
 „lumentum, suscepisse“. Neque infeliciter is *No-
 stro* successit: nam *ob accuratam doctrinam* singula-
 rem ex illo utilitatem ad studiosos redituram, *Pe-
 trus STEVARTIUS* testari non omisit. MORHOFIUS
L. c. T. I. p. 1009. extollens laudibus *Jul. Cæs.*
SCALIGERI Libros *de Re poetica*, addit: *Quæ PON-
 TANUS in Institut. poet. . . . habet, etsi non con-
 temnenda sint, his tamen utique non sunt comparan-
 da; sed plane alius generis præcepta.* Quid? si *SCA-
 LIGERUM* de re poetica subtilius, *PONTANUM* vi-
 cissim utilius scripssisse dicamus. Laudat hoc *Opus*
BAILLETUS; de quo supra, p. 131. vide.

Institutionibus poeticis additum *Tyrocinium poe-
 ticum*, *PONTANUS*, juvenilem *Musam* suam appel-
 lat, corpus parvum versiculorum, quos ætate viridio-
 re cum esset, et cælestibus illis sacris, ut *Naso* voca-
 vit, libenter ac sæpe natura trahente operaretur, par-
 tim suoapte nutu, partim aliena auctoritate composuit.
 Complectitur ergo *Tyrocinium* memoratum *Elegia-
 rum Libros II.* *Funebrium Lib. I.* *Miscellaneorum*
Libros II. *Dramata II.* videlicet *Immolationem Isaaci,*
 & *Stratoclem* sive *Bellum.*

Utriusque Lucubrationis huius varix sunt edi-
 tiones. *Institutiones poeticæ* denuo *Ingolstadii* 1597.
 et 1600, *Turnoni* in 16°. 1600. *Lugduni* in 16°. 1670.
 vul-

vulgatæ fuerunt. *Tyrocinium poeticum*. in 8^o. *Ingolstadii* 1604. denuo prodit in lucem.

IV. *Floridorum Libri VIII.* videlicet *de Puerio Iesu L. I. de Passione Domini L. II. de Virgine Maria L. II. Sponsalium L. II. de Nuptiis Agni L. I. Augustæ Vindel.* 1595. *Ad Insigne Pinus.* Dicitur Noster parthenianis apud gymnasia *Societatis Iesu Sodalitatibus.* Editio II. *emendatior, melior, audior, cum figuris æneis,* prodit anno 1596. *Augustæ Vindelicorum.* in 12^o. *Cum Insigni pinus. Excudebat Ioannes Prætorius.* De hac editione, a *Marco VELSERO* adornata vide, quæ mortui in *Alphabeto II. Bibliothecæ meæ Augustanæ,* in *Notis,* p. 199. Editio alia in 8^o. *Ingolstadii,* anno 1602. Ex *Sartorii Typographeo* emissa, cui accessit *Hymnorum in Ordines Cælestium Liber singularis,* teste *ALLEGAMBIO.* Iterum *Ingolstadii* anno 1611. exivit in lucem.

V. *Symbolarum Libri XVII.* quibus *P. VIRGILII Maronis Bucolica, Georgica, Æneis ex probatissimis Auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur.* in folio. *Augustæ Vindelicorum. Ad Insigne Pinus. Ex Officina Ioannis Prætorii.* 1599. Dicitur Noster suas *Symbolas Octaviano secundo FUGGERO, & Quirino REHLINGERO Duumviris, Septemvirali Collegio,* totique *Ordini senatorio Augustanæ Republicæ.* Aliam editionem *Augustanam* anni 1609. item *Lugdunensem* anni 1601. in folio memorat *Mart. LIPENIUS* in *Biblioth. philosophica. T. II. p. 1529.* Sed de *Augustana* vereor, ne annus impressionis in mendo cubet. Editionem *Lugdunensem* anni 1604. memorant *Gottfr. Ephraem MULLERUS* in *Historisch-Critischen Anleitung zur Kenntniss der alten lateinischen Schriftsteller T. III. p. 343. & Christ.*

Christ. Gottl. HEYNIUS in Catalogo Editionum Virgilianarum. p. 101.

PONTANI *Castigationes ad VIRGILII Opera* in 32^o. *Sedani*, anno 1625. & 1626. exivisse monuit laudatus HEYNIUS *l. c.* PONTANI *Castigationes in Virgilium* etiam *Coloniæ*, in 12^o. 1664. vulgatas esse refert *M. LIPENIUS l. c.*

SCALIGERUS maximi fecit hoc PONTANI Opus: uti ex BAILLETO habes superius *p. 129.* Confer etiam; quæ in *Vita p. 122.* monui. Commentariis istis usum se profitetur *Ioannes Ludovicus de la CERDA S. I.* in *Virgilio* a se edito: itemque SCHREVELIUS in suo *Virgilio, Lugduni Batavorum. 1661.* Eos excimios esse testatur *Ioan. Alb. FABRICIUS in Biblioth. latin. T. I. p. 251.* Opus magnificum & amplissimæ doctrinæ vocat Liber: *Effigies Virorum eruditorum Bohemiæ; T. I. p. 50.* Confer Librum: *Merckwürdigkeiten der Dresdenschen Bibliothek, T. II. p. 244. & 253.*

VI. *Ioannis CANTACUZENI Ex - Imperatoris de Rebus ab Andronico Palæologo, Imperatore CP^{IANO}. nec non à se gestis Historiarum Libri IV.* Iacobus PONTANUS *S. I.* latine vertit, & *Notas suas, cum Iacobi GRETSERI eiusdem Societatis Adnotationibus, addidit.* in folio, *Ingolstadii. Ex Typographia Adami Sartorii. 1603.* Consecravit Noster *Henrico de KNOERINGEN Episcopo Augustano, & Collegio Canonicorum cathedralis Ecclesiæ ibidem.* In *Præfatione Operis, ex græco Codice MSS^{to}.* Bibliothecæ *Bavaricæ* perquam mendoso malèque interpuncto a se versi, indicat PONTANUS, quid laboris in edendo *Cantacuzeno* ipse posuerit; tum monet: locos aliquot parum sanos se prætextis in ipso contextu *Animadversionibus à Iac. GRETSERO, Nostri rogatu conscriptis, perstrinxisse. Petrus STEVARTIUS*

TIVS jam laudatus sequens de præſenti *Hiſtoria* iudicium tulit: *eam à Noſtro elegantiffime fideliffimeque translata* (ſive autorem, ſive argumenti magnitudinem, ſive interpretem, tot jam præclaris ingenii monumentis editis clarum ac celebrem ſpectemus) non modo luce, verum etiam publica gratulatione et commendatione digniffimam eſſe. Iſta PONTANI Verſio, addito *Textu græco* ex Codice Bibliothecæ Petri Seguierii, prodivit denuo anno 1645. *Parifiis*: deinde & *Venetiis*. 1729. in *Corpore*, ut aiunt, *Hiſtorix Byzantinæ*; ubi ſequens de *Noſtri* labore iudicium legere eſt: PONTANUS *Ioannem Cantacuzenum, Orientis Imperatorem, togatum fecit*: de *græco*, inquam, in *latinum* eleganter convertit, *togæque eius Notas pereruditas veluti purpuram intexit*; ne ſcilicet terræ *Græciæ Princeps* in publicum ſine *purpura* prodiret. Confer, ſi lubet, *Io. Alb. FABRICII Biblioth. græc. T. VI. p. 472*. Vide etiam *Petri LAMBECCII Commentarios de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, T. V. p. 389*. ubi ſphalma PONTANI emendatur. Quid de PONTANI Verſionibus e *græco* in univerſum ſit ſentiendum, habes ſupra **EX BAILLETO**, p. 130.

VII. SIMEONIS Iunioris, Theologi, Presbyteri, & Præpoſiti Monafterii S. Martyris Mamantis ad Xylocercum, de Fide et Moribus tum chriſtianiſ tum monaſticiſ Orationes XXXIII. Eiuſdem *divinorum Amorum ſive Commentationum ſacrarum Liber ſingularis*. Eiuſdem *Capita moralia ducenta duodecimginta*. *Acceſſerunt alia complura, tum maxime SIMEONIS Archiepiſcopi Theſſalonicenſis de divino Templo; de eius Miniſtris, Epicoſcopo, Sacerdote, Diacono; de ſacris eorum veſtibus, de ſacroſancta Myſtagogia ſive Miſſa. Omnia nunc primum ex Bibliotheca SS^{mi}. utriuſque Bavarix Ducis &c. &c. Maximiliani (Adde et Auguſta-*

Augustanam) de prompta et latinitate donata in 4^{to}. Ingolstadii. Apud Adamum Sartorium. 1603. Dedicavit Noster Ioanni MERCK Abbati San - Udalricano. Recusa hæc in Bibliotheca Patrum maxima, ultimæ editionis Lugdunensis, T. XXII. p. 624. Confer Io. Alb. FABRICII Biblioth. græc. T. X. p. 299. 300. 326. ubi vult: SIMEONIS Theſſaloniensis Opus à Nostro minus sincerum editum fuisse.

VIII. Theophylacti SIMOCATTÆ, Ex - Præfetti & Observatoris Conctorum, Historiarum Libri VIII. græcè et latine. Georgii PHRANZÆ Chronicorum de ultimis Orientalis Imperii temporibus Libri III. latine duntaxat. Georgii TRAPEZUNTII Epistola ad Ioannem Palæologum Imperatorem, græcè et latine. in 4^{to}. Ingolstadii. Typis Adami Sartorii. 1604. Opus Maximiliano utriusque Bavarie Duci Noster dicavit, laudans eius in Societatem amorem ac benevolentiam, cuius pars etiam in Augustanum Collegium dimanarit; scilicet dum pagum Kyffingam abs Sociis emptum, Maximilianus amplis privilegiis donavit; de quo inferius in ROSEFFII Vita mentio recurret. SIMOCATTA, ex recensione PONTANI, recusus fuit Parisiis. 1648. castigatior & glossario græco-barbaro auctior à Carolo Annibale FABROTTO: deinde et Venetiis. 1729. in Corpore scilicet Historiæ Byzantinæ. Sed PHRANZA & TRAPEZUNTIUS utrobique omissus. Confer Io. Alb. FABRICII Biblioth. græc. T. VI. p. 591. seqq. SCALIGERO (ut supra ex BAILLETO docui) plurimum placuit hic Nostri labor. Maximilianus quoque Bavarie Dux serenissimo iudicio suo multum comprobavit, testante Historia Soc. Iesu German. super. T. III. p. 168.

IX. PHILIPPI Solitarii Dioptra, i. e. Regula sive Amussis rei christianæ ad Callinicum monachum, qua-

quatuor Libris per dialogum explicata. Ex Bibliotheca Reipublicæ Augustanæ. NICOLAI Cabasilæ de Vita in Christo Libri VI. Eiusdem Oratio I. contra foeneratores. Ex Bibliotheca Bavarica. IOANNIS Carpathiorum Episcopi Capita hortatoria, sive Documenta spiritualia XCVII. Eiusdem Capita alia XCIV. PHILOTHEI Patriarchæ Constantinopolitani Laudatio in SS. Basilium III. Gregorium Theologum, & Ioannem Chrysostomum, græce et latine. MICHAËLIS Glycæ Disputationes II. Ex Bibliotheca Andreæ Schotti S. I. in 4^{to}. Ingolstadii. 1604. Ex ista primæva editione hæc omnia in Bibliothecam Patrum maximam, editionis ultimæ Lugdunensis, T. XXI. XXVI. XII. XXVI. XXII. transferunt, Confer Io. Alb FABRICII Biblioth. græc. T. VI. p. 542. Vide Petri LAMBECII Comment. de Biblioth. Cæs. Vindob. p. 76. & 95. ubi editio ista corrigitur.

X. Parthenometrica, i. e. Meditationes, Preces, Laudes in Virginem Mariam, potissimum ex ecclesiasticis Græcorum monumentis, in 12^o. Augustæ Vind. Apud Davidem Francum. 1606. Dicavit Sodalibus partheniis Augustanis.

XI. S. Cyrilli Alexandrini Commentaria in XII. Prophetas minores. in folio. Ingolstadii. Apud Adamum Sartorium 1607, Hæc primus Noster græce ac latine edidit, auspiciis Marci VELSERI, qui in Epistola ad VULCANIUM data anno 1601. inquit: Ego, ne nescias, inter primos Cyrilli amatores nomen profiteor; cuius rei hanc capias coniecturam licet: quod amico cuidam meo, græce et latine apprime docto, auctor sui, Commentarium in XII. Prophetas vertendi. Is vero totum pensum jam absolvit, et nunc maxime editionem adornat. Prophetas minores decem ex Bibliotheca Boica habuimus: reliquos duos ex Vaticana. Opus, magnificum et illustre, dignum æquis æsti-

mato-

maioribus visum, quod communi Provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris nomine PONTANUS Henrico IV. Galliarum Regi inscriberet, qui aeterno beneficio Societatem, nuper auctoritate sua Galliae restitutam, obstrinxerat. Rex non gratum solum literarium munus habuit, sed litteras etiam ad ROSEPHIUM Provinciale dedit, adisque gratis memorem se gratumque in Societatem fore promisit; uti testatum reliquit *Historia S.I. German. super. T. III. p. 308.* De reliquo Commentaria ista Ioannes AUBERTUS, Ecclesiae Laudunensis Presbyter Canonicus, suae Cyrilli editioni, quae modo rarissima est, inferere non dubitavit, ubi integrum Tomum III. satis spissum occupant. Confer *Io. Alb. FABRICII Biblioth. graec. T. VIII. p. 561.* ubi malè annus primae editionis 1605. ponitur.

XII. *Colloquiorum sacrorum Libri quatuor cum Notis. Item ex Codice Augustano MSS^o. potissimum collecti Moralium Fasciculi duo, & latine rediti. in 8^o. Ingolstadii. Ex typographæo Adami Sartorii, 1610.* Dicavit Noster Leopoldo Archiduci Austriae Episcopo Argentoratensi & Pataviensi.

XIII. *In P. OVIDII Nasonis, Poetarum ingeniosissimi, Tristium & de Ponto Libros novi Commentarii. Item Hortuli Ovidiani, i. e. Sententiae & Proverbia ex quotquot Poetae monumentis . . . conquisita, in locos communes redacta, & Commentationibus explicata. in folio. Ingolstadii. Ex typographæo Adami Sartorii. 1610.* Inscriptit Noster Opus Wladistao, filio Sigismungi III. Polonorum regis, adhuc adolescenti. In Praefatione monet, se, cum nihil Commentariorum in memorata Ovidii Opera (praeter MERULÆ & AMERPACHII) circumferri videret, ad tales scribendos aggressum esse. In fine addit: se jam pridem secum volutare, qua via, quae
Bibl. August. Alph. V. K utro-

utrobique honesta, suo labore explanator Fastorum & Metamorphoseon Libros cum studiosis communicare queat. Notandum, Hortulos Ovidianos separatim quoque in usum juventutis excusos fuisse.

Audiamus Petrum BURMANNUM, in Præfatione ad suum Ovidium dicentem: *In Tristia & Epistolas de Ponto, quæ fere scholastica pensa solent esse, nullam rationem fere PONTANI habui. Confer I. A. FABRICII Biblioth. latin. p. 321. Edit. Venetæ. 1728.*

XIV. P. OVIDII Nasonis Metamorphoseon Liber XV. sectionibus et in easdem argumentis probe distinctus & locupletatus. Ex eiusdem Libro XIII. Artorum Iudicium. Item Nasonianum Paradigmaticon i. e. Exempla moralia ex Metamorphosi &c. 8^o. Monachii. 1613. Edidit hæc pro Scholis Societatis.

XV. Attica Bellaria, sive litteratorum secunda Mensæ, ad animos ex contentione et lassitudine studiorum læxiunculis exquisitis, jucundis, ac honestis relaxandos, syntagmatis decem explicatæ. Dicavit Noster honoribus Mutii VITELLESCI Societatis Iesu Præpositi generalis. Opus hocce tribus Voluminibus ab anno 1615. ad 1620. in 8^o. Augustæ, apud Andreæm Apergerum prodivisse monet ALLEGAMBIVS. Alia extat editio Monachiensis, apud Viduam Bergianam, 1616. in 8^o. Prodierunt etiam Viennæ. 1620. Hannoveræ. 1634. Francofurti. 1644. Rursum Augustæ. 1647.

MORHOFII, L. c. p. 244. de Libro isto sequens est iudicium: PONTANUS Iesuita doctus Attica Bellaria . . . scripsit, i. e. Varia collectanea historiarum, rituum, salium, facietiarum, in quibus multa occurrunt notatu digna; quanquam argumenta interdum vulgaria immisceantur.

Titulum Operis, quem CRENIUS l. c. utpote sibi (quod nullus dubito) haud visum, male allegat,

legat, et se capere non posse ait, habes supra accuratè exscriptum, optimæ Latinitati respondentem.

XVI. *Ethicorum Ovidianorum Libri IV.* in 8o. *Ingolstadii.* 1617. Ita testatur ALLEGAMBIUS & SOTVELLUS *l. c.* Confer *superius No. XIII. & XIV.*

XVII. *Ex P. OVIDII Nasonis Metamorphoseon Libris XV. Electorum Libri totidem, ultimo integro.* *Ad eorundem novi Commentarii cum Sectionibus & Argumentis.* in folio. *Antverpiæ. Apud Heredes Martini Nutii.* 1618. Opus à *Nostro Poeticæ, Poetarumque Amantibus donatum, dicatum, consecratum, quod Laurentius BEYRLINCKIUS ut novum, doctum, et vere electum* prælo dignum censuit. *Petrus BURMANNUS* supra allegatus se hoc *Nostri* labore, sed raro, usum esse profitetur *l. c.* Confer (si lubet) *Jo. Alb. FABRICII Bibl. latin. p. 314. Edit. Venedæ, 1728.*

XVIII. *Philocalia, sive Excerptorum e sacris et externis Auditoribus Libri X. cum Commentariis & Notis pæne perpetuis.* Opus exquisita varietate frugiferum ac peramænum. in folio. *Augustæ. Ex officina typographica Andreæ Apergeri. Impensis Ioannis Krugeri.* 1626. Obtulit *Noster* Opus hoc *Alexandro URSINO* Cardinali, qui, *Augustam* anno 1625. transiens, PONTANUM in Collegio separatim conventum voluit, ut familiares de politioribus literis sermones cæderent: sibi que scripta PONTANI perquam grata esse, et inter graviores curas non parum oblectamenti præbere, prodidit: ex qua *Cardinalis* doctissimi dignatione, iudicioque multum honoris ad *Nostrium* redire, quis inficiabitur?

XIX. *Dialogi de Spiritu & Carne, quos Nostro ALLEGAMBIUS attribuit.* Sunt unum idemque Opus cum *Philippi Solitarii Dioptra* (Vide *supra No. IX.*) in qua caro et spiritus colloquuntur.

XX. *Centuria epistolicarum Formularum. Coloniae*, in 8^o. quam ex sola *Mart. LIPENII* (in *Biblioth. philosoph. T. I. p. 467.*) auctoritate memoro. Haud dubie est *Opus Rochi Perusini*, superius N^o. I. laudatum.

XXI. *De Præstantia Epistolarum Ciceronis Dissertatio.*

XXII. *Forum Latinitatis.* Ambo hæc Opuscula sola iterum *Christ. Gottl. IOECHERI* (in *Gelehrten-Lexicon*) auctoritas *Nostro* adscribit. Cave, *Dissertationem de Præstantia Epistolarum Ciceronis* separatum opusculum credas. Invenitur illa subnexa *Operi Rochi Perusini*.

Ab editis PONTANI Operibus ad inedita descendendum est. Hæc sunt teste ALLEGAMBIO :

1. *Comoediæ aliquot sacræ, quæ nondum prodierunt in lucem.*

2. *Nicephori GREGORÆ Opuscula Græco-Latina.*

3. *Homericorum Libri, id est, singulorum Librorum Synopsis, sôluta oratione latinâ.*

4. *GENNADII Orationes ad Patres in Concilio Florentino Græcolatinæ.*

5. *Criterion, hoc est, Judicium de Scriptoribus antiquis et recentibus.*

6. *Hortulus trium ordinum, Incipientium, Proficientium, et Perfectorum sive Contemplantium, ex Auctore Anonymo. Latine.*

7. *Areolæ Aromatum, id est, Meditationes, preces, laudes divinæ. ex Græcis collectæ. Latine.*

8. *Forum Latinitatis, id est, Observationum ex optimis Auctoribus libri cum Annotationibus. Utrum hoc Opusculum in lucem prodiverit, valde dubito, etsi id IOECHERUS affirmet. Vide superius N^o XXII.*

9. *Commentarius in Thebaidem STATII.*

10. *Phi-*

10. *Philocaliæ Liber XI.*
11. *Moratarum Scriptioꝝum, quibus mores, seu ingenia, indoles, studia, sensus, affectus naturæ, in personis tam fictis quàm veris, exprimuntur, Libri III.*
12. *Sermonum mutis rebus afflictorum, Lib. I.*
13. *Commentaria in Lib. III. priores Fastorum Ovidii. Vide superius No. XIII.*
14. *Commentarioli in aliquot veterum Poetarum et Poetriarum Epitaphia.*
15. *Thesauꝛophylacion, sive Arca spiritualis, id est, Piarum Considerationum Passionis Domini- cæ, et S. Crucis, Libri IV. Item*
16. *Mariam vere Matrem esse nostram. Omnia ex pervetusto codice Germanico selecta, et latine interpretata.*

RADERUS (*Matthæus*)

Natione *Tyrolensis*, patria *Inichingensis*, primam lucem anno reparatæ salutis MDLXI. apexit, ac vicennis se Deo in *Societate Iesu* consecravit: in qua & humanioribus & severioribus disciplinis, nec minus pietate religionisque præceptis excultus est (a): cuius etsi non patriâ, at certe *Professione vitæ religiosæ, et docendi officio Augustani*, laudes celebrare paro.

Positis ille *Landspergæ* vitæ religiosæ rudimen- tis, anno ferme 1584. in Gymnasium, quod *Augustæ* recens *Societas* aperuerat, missus, ibidem *Rhetoricæ* elementa addidicit: atque ita addidicit, ut postea, vix dum elapso septennio, anno 1591. eadem *Augustæ* discipulos, sibi commissos, doce- re valuerit, *Eloquentiæ* jam tum vel emeritis Pro- fessoribus æquandus Magister. Eo munere fun- gens *Noster*, nondum Sacerdotio initiatus, in ho-

K 3

norem

(a) ALLEGAMBE & SOTVELLUS in *Biblioth. Societ. Iesu.*

norem *Ioannis Othonis de GEMMINGEN*, mortuus *Marquardo à BERG (b)* ad episcopale solium evecti, nomine *Augustani Collegii*, *Applausum* typo vulgare iussus est: videturque hæc prima inter tot deinceps *Matthæi* lucubrationes fuisse, quam in lucem edidit, mense *Martio* memorati anni (c).

Docuit autem *Rheticam* insigni constantiâ per annos *viginti duos*, *Augustæ* imprimis; cuius urbis gymnasium per ea tempora illustrissimus Nobilium discipulorum numerus multum inclarescere fecerat, teste *Adamo FLOTTO (d)* ad annum 1603. in hæc verba scribente: *Inter classium auditores numerati tres Principes, Ioannes Georgius, Albertus Vladislaus, Christophorus Nicolaus, KADZIVILII, cum aula præfeto Feliciano nobilique comitatu, qui Rhetorem (Raderum) audivere. Post hos eminebant Albertus Comes OETINGANUS; MACSELRAINIUS, unus; FUGGERI, tres; Barones undecim; PALFII, Hungari duo; Gallus unus, Henricus de LUMENIE, cuius parens Galliarum Regi abs arcanis epistolis fuit. Hac ratione factum, ut ex discipulorum claritudine permagna ad RADERUM institutorem gloria ac fama redierit: dein & ex auditorum, quos altioris, inferiorisque ordinis quamplurimos habuit, insigni profectu tum ingens in Respublicas civilem et ecclesiasticam utilitas, tum summa ad *Nostrum*, labores suos Ecclesiæ & Imperio tam proficuos essentientem, voluptas redundarit. Ex iis autem, quos oratoriæ quondam artis alumnos numeraverat, celebriores tres potissimum RADERUS senex præcipuus*
suus

(b) Amborum horum Episcoporum memini in *Alphabeto IV*, præsentis *Bibliothecæ* meæ.

(c) *V. Historicum Societ. Iesu, Provinc. German. super. T. II. p. 9.*

(d) In *MOX* memorata *Historia*, *P. III.*

*suâ cum voluptate suspiciebat, Georgium STEN-
GELIUM (e) sermonis et morum suavitate ac lepore :
Hieremiam DREXELIUM (f) pietate sacrisque commen-
tationibus : & Iacobum BIDERMANNUM omni littera-
tura præstantem. Quorum memoriam his versibus ce-
lebravit :*

Tres ego discipulos numero de mille trecentis

STENGELIUM lepidum : DREXELIUMque pium:

Atque BIDERMANNUM, qui nunc est alter Aquinas,

Alter Aristoteles, Tullius atque Maro (g).

Quantum autem curæ, quantum cordi inge-
nuæ juventutis institutio *Nostro* fuerit, vel istud
apertissime demonstrat; quod, publicos in ea eru-
dienda labores exhaurire non contentus, privatos
quoque in eundem finem subire minime recusârit.
Adde, clarissimi nominis Virum, *Eustachium wo-
LOVICIUM, Lithuaniae Referendarium & Trocen-
sem Præpositum, domi suæ RADERUM, Quintilia-
num sibi explicantem, audivisse.*

Hæc de laboribus, à *Nostro* in docendi officio
exantlatis, satis sunt. Iam reliquas vitæ eius
circumstantias, paucas illas, cum debitæ notitiæ
sive per belli *Suecici* incommoda, sive aliis modis
interiverint, pandere juvat.

Sacris Ordinibus, ipsis Calendis Maii anni
1591. initiatus *Noster*, sacerdotii dehinc sui pri-
mitias supremo Numini obtulit. Tria solennia au-
tem vota in *Societate* professus est annò 1601. id-
que *Augustæ*, quod mihi omnia vero quàm simil-
limum faciunt. Inter ea fama doctrinæ *Nostri* tan-

K 4

tium

(e) Huius laudes celebravi in *Alphabeto III. Bibliothecæ meæ.*

(f) DREXELII *Vitam* à me descriptam, leges in *Alphabeto II. eiusdem Bibliothecæ.*

(g) Vide *Histor. Societ. Iesu &c. P. V.*

tum invaluerat, ut eadem commotus *Maximilianus*, Dux *Bavariæ*, postquam eius regionis *Santos*, in unum corpus collectos, orbi litterato proponere decreverat, *Nostro*, *Augustæ* etiamnum versanti, negotium imposuerit, eorum nomina *per omnes chartas, fastos & membranas conquirendi, eorumque vitas conscribendi*. Cùmque idem Princeps illustrium Chalcographorum familias magnis sumptibus aliunde evocasset, ut quorum *Noster* res gestas in litteras retulisset, eorum illi habitum oris, cultusque corporum, quoad assequi possent, in ære exprimerent, annis succedentibus tandem splendidum illud Opus: *Bavaria sancta*, tum *RADERO* parente, tum *Maximiliano* promotore omnino dignum emerit in lucem, de quo *inferius* vide.

Sic, quod à prima ætate consueverat, usque ad ultimam ita Musis diu noctuque immerfus extitit; ut (præter pietatis studium) nil ageret ferme, quam *discere, docere, et scribere*. Hoc postremo modo dum futuræ posteritati consulit: dumque in commentandis & illustrandis *SENECÆ Tragœdiis* extremo labore occupatur, tremula denique illis adhæsit manus. Obiit autem *RADERUS* non eodem, quò cæteri *Socii*, quos orta tum pestilentia rapuit, genere fati: sed casu, & quæ casui supervenit, corporis intemperie. Quippe fallente vestigio delapsus per gradus, fæde caput, quamquam citra graviores labem, quæ appareret, afflixerat. Verum catarrhi postea succedentis humor, cum nihil jam *Socii* metuerent, decumbenti spiritum repente interceptit. Hoc modo diem suum *Noster Monachii, Bavariæ* urbe princepe, anno post Christum natum 1634. undecimo Calend. *Januar.* ætatis verò annò 74. *Societatis* autem 53. clausit

fit (h), *Vir eruditionis fama & Scriptorum editorum claritudine notissimus, optimèque juxta ac amplissimè de re litteraria meritis.*

Quibus jam modis virtutem *Matthæi* nostri de- prædicem, quam is tanto pluris præ litteris fecit, tantoque diligentius coluit, quanto litteras præ cæteris rebus, quas vana passim libidine consecantur mortales, impensius amabat? Innocentiam, morumque integritatem, qua inde à primis annis floruerat, in sene etiam, eoque plus quam septuagenario, virentem intemperatamque suspicere licuit. Insigni præterea mentis demissione fuit, miro candore animi, et patientia singulari. *Æterna* autem quam maxime anhelavit. Quare, cum permultos suorum collegarum pestifera lue & vivis sublato cerneret, nihil magis jam annoso sibi quam consimilem exitum ominabatur: nihil minus reformidabat. Ergo per id tempus sæpius palam profiteri auditus est: ultro se fati, libenterque concessurum. *Optamus enim, addebat, speramusque æterna*, illum ingeminans *MARTIALIS* sui versiculum: *Non possum vitæ de brevitate queri.* His addidit comitatem et propensum omnibus obsequendi studium: eratque minime injucundi spectaculi res, videre hominem studiis totum librisque deditum, & cuius perpetuo animus docendo scriptitandoque detineretur, affabilem nihilominus, comemque eundem, ad officia promptum, ad obsequia facilem, non morosi quidquam, non tetrici, sed grata omnia atque exporrecta &, quas colebat, Musis quam simillima præferre (i): quò factum,

K 5

ut

(h) Vide *ibidem*. Corrige etiam *WENDLERUM*, qui in *Dissert. II. de Meritis Reipubl. August. in Rem litterar.* p. 40. mortem *Nostri* in annum 1637. fors per errorem typi, rejicit

i Ita testantur *ALLEGAMBE*, *SOTVELLUS*, & *Histor. a Soc. Jesu &c. P. V. p. 265.*

ut non suis duntaxat sed exteris quoque, summis juxta ac infimis, & maxime Principibus, præcipue *Bavaricis*, in pretio atque amoribus esset.

A virtute et moribus *Nostri* modò ad doctrinam eiusdem transeundum mihi. Præter omnifariæ eruditionis decora, excelluit *Noster* omni dicendi: elegantia atque *ingenuarum artium* cognitione, tum *pœtica* facultate insigniter. *Attica* ille, *Romanæ*que linguarum scientissimus, utriusque generis illustravit vetera monumenta, nova addidit, castissima Latinitate uti solitus: nec profano magis, quam sacro pioque in argumento copiosissime versatus. Etenim non classicis solum Auctoribus, quales *Martialis*, *Curtius*, *Seneca*; sed etiam *SS. Patrum & Scriptorum ecclesiasticorum* Operibus laudabilem nec poenitentiam operam consecravit: tum etiam in elucidanda *Historia*, maxime *sacra*, plurimum allaboravit: quibus *RADERI* studiis non ingenii solum iudicii, sed memoriæ etiam vim propemodum infinitam natura subministravit, adeo ut, fracto licet annis laboribusque corpore, vixens animus, quidquid percepisset semel, perpetuo teneret (k).

Itaque doctissimis quibusque Viris tum suæ, tum posteræ ætatis permagnæ admirationi fuit. Et *Synchronorum* quidem è numero vocare mihi licet *Iustum LIPSIVM*, qui *Nostro*, in edendo *MARTIALI*, suppetias libentissime tulit (l). Vocare licet *Martinum DELRIO & Iacobum GRETSERUM* (m). Vocare licet maximi inter eruditos nominis Virum, *Marcum VELSERUM*, quem a se in perplexis Antiquita-

(k) Vide mox citatos Auctores.

(l) V. *Iust. LIPSII Opp. T. II. p. 130.* Confer *Patri BURMANNI Syllogen Epistol. T. II. p. 33.*

(m) V. *MARTEALEM & Nostro curis secundis editum, in Præfatione.*

quiritatum vestigiis hærente, sive coram, sive per scripta consultum, nunquam studiis suis defuisse: cuius bibliothecæ thesauros sibi patuisse semper: a quo plurimis muneribus officiisque vadatum se obstrictumque fuisse, publice profiteri *Noster* in *Dedicatoria* ad MARTIALEM suum non erubuit: cuius etiam ex typographia inclyta, sub *Insigni Pinus*, nonnulla *Nostri* meletemata prodivèere in lucem. Vocare licet *Robertum* TITIUM, Philologum celeberrimum, qui *magnum* (ut ait) *Virum Matthæum RADERUM* per eundem VELSERUM optime valere iussit, *seque ingenium eius (n) vehementer admirari* confessus est. Vocare licet *Ioannem* BOLLANDUM, *Cæsarem* BARONIUM, *Io. Georg.* HERWARTUM, *Andream* SCHOTTUM, *Carolum* STENGELIUM, *Christophorum* GEWOLDUM, de quibus inferius, in *Catalogo Operum à Nostro* editorum, suis locis memoria recurret. Vocare licet denique *Ios.* SCALIGERUM, qui tam honorificum de MARTIALE *Matthæi* nostri iudicium tulit, ut eius *cenfuræ fiduciâ* SERADERUS *ipse haud caperet*, teste mox memorato VELSERO (o).

Eruditos posterioris ætatis in laudando RADERO haud segniores fuisse invenio. Atque ut Auctores domesticos à me per decursum huius narrationis citatos (puta ALLEGAMBIUM, SOTVELLUM, *Historiam Provinciæ Societ. Iesu Germaniæ superioris*) tum etiam *Lexicographorum* plures, uti MORERIUM, JOECHERUM &c. &c. silentio prætervehar; *Ioannes Albertus* FABRICIUS (p) *Daniel Georg.* MORHOFFIUS (q) *Ioannes Christophorus* WEND-

LERUS

(n) Vide *ibidem*.

(o) V. VELSERI *Opp.* pag. 799.

(p) In *Bibliotheca latina*, præcipue *T. I. p.* 593. & in *Bibliotheca græca*.

(q) In *Polyhistor*, *T. I. L. 4. c. 13. §. 11.*

LERUS Professor *Ienensis* (r) Henningus WITTE (s) GUNDLINGIUS in *Historie der Gelehrtheit*. MICHAEL & S. Ioseph in *Bibliographia critica*. Vol. III. p. 286. *Madridi*. oppido honorificam *Nostri* memoriam egerunt. CRENIUS (t) idem præstitit. His accedit *Adrianus* BAILLETUS (v) de *Nostro* scribens: On lui a l' obligation de plusieurs excellents Ouvrages de l' Antiquité ecclesiastique & profane; dont il nous a procuré l' édition avec des corrections assez judicieuses, & des notes, qui montrent, qu'il avoit de l' erudition. Et rursus: Ce Pere s' est beaucoup appliqué à traduire. Il nous a donné les Oeuvres de S. Jean Climaque. . . . Il avoit une connoissance assez grande de l' une et de l' autre langue; néanmoins il se trouve un grand nombre de fautes dans quelques - unes de ses Versions; mais on a remarqué, qu'il y a plus de la faute de ses exemplaires manuscrits peu corrects, que de la sienne; comme il paroît sur tout dans celle de S. Jean Climaque & des Vies des Saints. Et quamvis, teste eodem BAILLETO, Auctor Libri:

Bib-

(r) In *Dissert. II. de Meritis Reip. Augustanæ &c.* p. 39.

(s) In *Diario biograph.*

(t) In *Animadversionibus philolog. & histor. T. III. p. 17. 18.*

(v) In *Libro: Jugemens des Scavans, T. II. P. II. p. 232. & T. II. P. III. p. 415.* Superius gallice allata sic reddi latine possent: Debemus RADERO plura præstantia ecclesiasticæ et profanæ Antiquitatis monumenta, quorum nobis editionem cum correctionibus iudiciis plenis et notis eruditione minime carentibus procuravit. Pater iste multum adornandis Versionibus sese occupavit. Dedit nobis Ioannem Climacum &c. &c. Sat ampla utriusque linguæ cognitione præditus fuit; nihilominus in quibusdam eius Versionibus magnus erratorum numerus occurrit, quæ tamen non tam vitiosorum Manuscriptorum, uti præcipue in Versione S. Ioannis Climaci, & in Vitis Sanctorum videre est) culpâ irrepsisse, observatum fuit.

Bibliographie curieuse historique philologique, p. 92. asserere videatur, *Nostri* iudiciò haud multum valuisse, idque præcipue ex *Commentationibus RADERI* in *Quintum Curtium* probare nitatur; tamen morosi huius Cenforis anonymi auctoritas contrariis laudatorum à me Eruditorum, præcipue vero *Io. Alb. FABRICII*, qui hunc ipsum *RADERI Commentarium in Curtium amplum & eruditum* vocare minime dubitavit, auctoritatibus facillime eliditur.

Tantâ eruditionis famâ cum fuerit *Noster*; quid mirum, doctos posteriorum temporum Viros sibi passim eruditos *RADERI* labores adoptasse, suasque in areolas pronis animis derivasse; id quod ex *Catalogo Operum Nostri*, quem texere propero, dilucide patebit.

Ingenii autem eruditionisque monumenta à *Nostro* litteratæ data Reipublicæ hæc sunt:

I. *Applausus*, *Ioannis Othonis de GEMMINGEN* recens electi Episcopi *Augustani* honoribus, *Collegii* nomine scriptus 1591. de quo in *Vita* superius memini.

II. *M. Valerii MARTIALIS Epigrammaton Libri XII. Xeniorum L. I. Apophoretorum L. I. omni Rerum & Verborum obscenitate sublata, mendisque plurimis... castigatis*, in 8°. *Ingolstadii. Excudebat Adam Sartorius. 1599.* In *Præfatione* reddit *Noster* rationem, cur *MARTIALEM* a sordibus suis expurgarit: monetque *Lectiones variantes*, in margine annotatas, *Lipsii, Sthotti, aliorumque*, uti & suas esse. Operis huius, quippe in usum studiosæ juventutis à *Nostro* vulgati, plures editiones subsecutæ sunt. *LIPENIUS* in *Bibliotheca philosoph. T. I. p. 887.* refert *Antverpiensem* in 12°. 1604. item in 16°. 1609. *Coloniensem* in 12°. 1606. *Dantiscanum* in 12°. 1641. Ego meis oculis vidi *Dillingam*

nam in 12^o. 1626. *Monachiensem* in 17^o. 1633. Et quæ forte sunt aliæ. Parvæ huic editioni paulo post *Noster* majorem in folio, additis amplis *Commentariis*, submitit, de qua dicere pergo.

III. *M. Valerii MARTIALIS Epigrammaton Libri omnes novis Commentariis, multa cura studioque confectis, explicati & illustrati &c. in folio. Ingolstadii. 1602.* Dicavit *Noster* tribus fratribus VELSERIS, Marco Duumviro: *Matthæo* Ædili: *Paulo* Consuli, quorum erga se benevolentiam deprædicat. Ex *Præfatione* discimus, quosnam *Noster* in edendo *Martiale* adjuutores habuit. Ait enim: *Docuit me per Notas ad me transmissas eruditionis princeps* Lipsius: *Docuit noster Andreas Schottus: Docuit Iacobus Gretserus, qui mihi murrhina sua propinavit: Monuere etiam Leonardus Höniglerus & Rudolphus* (x) *Mattmannus, cum hæc meas Commentationes reviderent, & censerent.* Observandum tamen est, RADERUM in sua editione *obsæna* resecurisse, quod omnis labor *noster*, ut ait, *gymnastiis publicis & juventutis usibus consecrandus esset. Quapropter improbum Cupidinem amandamus ad eos, qui proscrip- tum dolent fremuntque. Nobis non licet esse tam Latinis, qui Musas colimus pudiciores.* De hoc *obsænos Auctores castrandi instituto multum abs eruditis Viris in utramque partem disceptatum fuit, aliis illud probantibus, aliis vero improbantibus. Hos posteriores inter existit Laurentius RAMIREZ Hispanus, qui, cum Martialem annò 1607. adolescens adhuc ac pene puer, ederet, ob id in Nostrum tum invec- tus est acriter, tum Nostri interpretationes passim carpit. Sed hunc egregie de-*
pexum

(x) MATTMANNI Viri eruditissimi laudes habes in ALLEGAMBIO, SOTVELLO & in *Historia Soc. Jesu Provincia German. superior. T. IV.*

xum dedit RADERUS in *Præfatione ad Martialem ris secundis, Ingolstadii. 1611. in folio evulgatum*; n̄ etiam ad propulsandam invidiam honorifica *Iu. PSII, Martini DELRIO, Iacobi GRETSERI, Rortii TITII, Iosephi SCALIGERI de Martiale* a se lito testimonia adducit, quæ l. c. videas velim. xterum de hac controversia confule, si lubet, an. *Georg. MORHOFII Polyhystorem, 1747. Lucæ. T. I. p. 900. seqq. Adrianum BAILLETUM in bro: Iugemens des Scavans, T. III. P. II. p. 345. 16. Petrum BURMANNUM in Sylloge Epistolarum Viris illustribus scriptarum, T. II. p. 34. THOASIIUM in Meletemate de Plagio litterario, §. 530. n̄ vult: RAMIREZIUM à Nostro etiam plagii accusatum fuisse. Sed mittamus ista — Tertiis curis RADERI prodiit *Martialis* anno 1627. in folio, *Logunticæ, per Kinkium*. Neque istud prætereunum est: *Vincentium COLLESSO IC^{um}*, qui, *ad uam Delphini, Martialem* edidit, RADERI nostri, *iri* (inquit) *doctissimi* laboribus multum uti volisse. *Petrus BURMANNUS* autem *loc. cit.* ait: *Utin Commentarium eius (RADERI) et doctum fatear; et nihil impedit, quo minus BARTHII iuricio, quod promit ad STATII VI. Theb. 6. subscriamus. LINGELSHEMIUS* quoque ad *JUNGERMANIUM* scribens anno 1607. (V. *STRUVII Collezan. Manuscript. Fascie. VI. p. 10.*) operam, à Nostro pensam *Martiali*, sequentibus collaudat: *RADERUS est, qui ponderose fecit in COQUUM (Martianum puta) illum Commentarium, quem GRUTERUS his æquum dicit nostris hominibus contra ingenium hæc, quæ non finit probitati locum. Sed hæc postera GRUTERUS ad invidiam Societati conflandam, am ad rem illustrandam accomodatius dixit! Con-**

Io. Alb. FABRICII Biblioth. latin. T. I. p. 593.

IV. *Syntagma de Statu Morientium ex MSS^{ta} Codicibus* (puta, *Græcis*) *illustrium Bibliothecarum Ser^{mi}. Maximiliani Bojorum Ducis &c. &c. & Reipublicæ Augustanæ depromptum, latine factum, notisque illustratum.* in 8^o. *Augustæ Vindelic. Apud Christoph. Mangum. Cum Insigni Pinus.* 1604. Hoc *Syntagma Noster* sacrum esse voluit *Eustachio WOLOVICIO*, de quo supra in *Vita*, Protonotario Apostolico, Præposito *Trocensi*, Custodi *Vilnensi*, *Poloniæ Regis* in magno *Lithuanæ* ducatu Referendario & Secretario. Alia editio luci data anno 1514. *Monachii. Ex formis Bergianis*, cui addita *Ode funebris in genus humanum sive Lessus mortualis: & Ode sub titulo: Crisis seu Tribunal ultimum* (Nota Lector; duas *Odas* has jam anno 1608. *Augustæ* in 12^o. *Andrea HOZIO Weingartensi* obstetricante, prodivisse. Suspicior ambas *Nostri* esse. Posterior certe est, uti in titulo monemur.) *Germanice* etiam, versore *Carolo STENGELIO*, vulgatum Opusculum hoc *Augustæ*, 1611. in 8^o.

V. *PETRI Siculi Historiæ ex MSS^{to}. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, græcè cum latina Versione, edita.* in 4^{to}. *Ingolstadii. Ex Typographia Adami Sartorii.* 1604. Dicavit *RADERUS Sebastiano BREUNINGO* (y) *Viro cælestium litterarum calentissimo & academicis honoribus inclyto, SS. Theologiæ Doctori, Episcopo Adrumetino, Proepiscopo Augustano.* In *Præfatione* monet *Noster*: hunc *Libellum* a *Iacobo SIRMONDO Romæ Augustam ad Marcum WELSERUM* *Duumvirum*, ab hoc ad se mis-

(y) De *BREUNINGO* plura habes apud *KHAMMIUM* in *Hierarch. Augustava, P. I. p. 506.* Ad eum extat *Ioannis STEINMEZII Secundi Hermunduri, Poetæ laureati, Elegia* in 4^{to}. *Augustæ.* 1609. Apud *Christoph. Mangum* excusa, in qua eius erga se munificentiam, operaque præstitam eo laudat.

missum fuisse ea lege, ut græcum formis impressum latineque redditum Latinis in Latium remitteret: quod ipse, dum per Sirium gymnasiolorum pulchra quiescunt, præstare conatus est, additis *Observationibus* pauculis ad intelligendam *Petri Siculi Historiam* commodis. Addit, unicum se habuisse *Codicem*, neque hunc sanum ubique satis &c. Invenitur recusa in *Bibliotheca maxima Patrum*, ultimæ editionis, *Tom. XVI. p. 753.* sub titulo: *Petri Siculi Historia de Manichæis* &c. De aliis editionibus vide *Io. Alb. FABRICII Biblioth. græc. T. V. p. 292.*

VI. *Acta sacrosancti & œcumenici Concilii VIII. Constantinopolitani IV. nunc primum ex MSSis. Codicibus illustrium Bibliothecarum Sermi. Maximiliani Bojorum Ducis &c. et Augustanæ Vindelicorum Reipublicæ, græce cum latina interpretatione edita, notisque passim illustrata. 4^{to}. Ingolstadii. Ex typographia Adami Sartorii. 1604.* Opus dedicatum *Cæsari BARONIO* Cardinali: cuius consilio, imo & auxilio prodivit; unde illud & gratissimum habuit idem, prout datis ipse litteris prolixè declaravit. Præter *BARONIUM*, dendæ huius lucubrationis auctores *Nostro* fuerunt *POSSEVINUS*, *GRETSE- RUS*, & præcipue *Marcus VELSERUS*, qui eidem *Codicem MSSum. Bibliothecæ patriæ* in eum finem communicavit. Recusa habentur *Acta* hæc in *Conciliorum maxima Collectione* à *LABBEO* & *COS- SARTIO* adornata, *Edit. Venetæ, anni 1730. Tom. X. p. 628. & seqq.* Confer. *Io. Alb. FABRICII Biblioth. græc. T. VI. p. 431.* ubi alias huius *Raderianæ* lucubrationis editiones memorat. Extant etiam in *SURII Vitis SS. ad diem 23. Oct. p. 341.*

VII. *Συγχαριστικόν RR^{mo}. & Illustr^{mo}. Principi Iacobo FUGGERO Pontifici Constantiensi recens Bibli. August. Alph. V. L inau-*

inaugurato, nomine Collegii *Augustani* scriptum & *Augustæ* impressum. 1604.

VIII. *Viridarium Sanctorum ex Menæis Græcorum lectum, translatum & annotationibus, similibusque passim historiis latinis, græcis, editis, ineditis illustratum.* in 8^o. *Augustæ Vindel.* Apud *Christoph. Mangum. Cum Insigni Pinus.* 1604. Hoc Opus *Noster* tribus Fratribus *Ioanni Georgio, Adalberto Wiadislao, Christophoro Nicolao RADZIVILIS*, illustrifimi D. D. *Nicolai Christophori RADZIVILI Ducis Olycæ & Nieswieſii &c. &c.* filiis, *Augustæ Rhetorices præcepta* (ut superius in *Vita* memoravi) audientibus inscripsit. Editio *secunda*, teste *Historia Prov. S. I. Germ. super. T. III. p. 308.* auctior a *Nostro*, anno 1607. vulgata est. Alia editio docente *LIPENIO* in *Bibl. Theol. T. II. p. 743.* prodiit anno 1612. Rursus alia, *recognita, & passim aucta*, emissã est *Monachii, ex formis Bergianis*, anno 1614. *Germanice* etiam, traduceute *Carolo STENGELIO*, cuius laudes in *Alphabeto III. Bibliothecæ meæ Augustanæ* fule exposui, exivit in lucem *Augustæ* 1611 in 8^o.

Viridarii Sanctorum Pars II. de simplici Obedientia & Contemptu sui &c. Augustæ. 1610. Apud *Christophorum Mangum.* dicata *Ioanni Chrysoſtomo Abbati Ord. S. Benedicti*, Prælato monasterii *Andecensis* in *Bavaria*, qui litteratum munus istud, cum tota religiosa familia, acceptissimum habuit; cum post datas prius litteras præsens ipse ad Collegium *Augustanum* venerit, haud levidense donum offerens, & actas antea gratias repetens. Alia editio publicata *Monachii, ex formis Bergianis*, anno 1614. in 8^o.

Viridarii Sanctorum Pars III. Continet illustria Sanctorum Exempla &c. in 8^o. *Augustæ.* 1612. (teste

ste EHINGERI *Catalogo Biblioth. August. p. 162.*)
 Typis Chrysofomi Daberii. Iterum Monachii. 1614.
Ex formis Bergianis. Dedicata est à Nostro *Andreas de BNIN, Opalinio, Pontifici Posnaniensi,* Epistola prævia, plena laudibus Viri huius inclytissimi.

IX. S. Ioannis CLIMACI *Liber ad Religiosum Pastorem, qui est de officio Cænobiarchæ, ex tribus MSSis. Codicibus græcis illustris Bibliothecæ Reipublicæ Augustanæ erutus, tralatus, & observationibus illustratus.* in 8°. Græce et Latine. *Augustæ.* Apud David. Francum, 1606. Opusculum honoribus Ioannis SCHALL Præpositi monasterii Canoniorum Regularium S. Augustini, ad S. Crucem, *Augustæ,* a Nostro inscriptum fuit. Alia editio, latina tantum, prodiit in 8°. *Monachii. Ex Formis Bergianis, 1614.* Demum Noster eundem Librum junctim cum Ioannis CLIMACI *Scala paradisi,* editit græce et latine, additis Scholiis Anonymi græci, anno 1633. *Parisiis.* Sed de hoc inferius recurret sermo. Confer Io. Alb. FABRICII *Bibliothecam Græcam, T. VIII. p. 618. 619.*

X. *Aula sancta, Theodosii Junioris, S. Pulcheriæ Sororis, Eudociæ Uxoris, Augustorum res gestas complectens, e Latinis, Græcis, editis & ineditis Scriptoribus extructa, concinnata, perpolita, & SSma. Elisabethæ Sermi. Maximiliani Palatini Rheni, utriusque Bavar. Ducis conjugii dedicata, in 8°. Augustæ Vindelic. Apud Christoph. Mangum. 1604.* Anteriorem editionem *Monachensem* anni 1604. ALLEGAMBIUS, & ex hoc SOTVELLUS, falso memorant. Hinc erroris ambos convincit *Historia Soc. Iesu Germ. super. T. III. p. 386.* Rurfus alia editio *Monachii, ex formis Bergianis, anno 1614. procusa, extat.*

XI. *De Vita Petri CANISII de Societate Iesu, Sociorum e Germania primi, religiosissimi & doctissimi Viri, bono Rei catholicæ nati, Libri tres. Appendix de P. Theodorico CANISIO Petri fratre in 3^o Monachii. Ex Formis Bergianis. 1614.* Hanc inscripsit Noster Nicolao à DIESBACH Duumviro Prætori, Senatui, Tribunis, Populoque Friburgensi Helvetiorum, de Societate Iesu, Collegio, Templo, Gymnasio structis quam præclarissime merito.

XII. *Chronicon Alexandrinum, idemque astronomicum & ecclesiasticum, vulgò Siculum, seu Fasti Siculi, ab Sigonio, Panvino, aliisque passim laudatum, partimque græce editum, nunc integrum cum latina interpretatione vulgatum. Græce et latine, in 4^{to} Monachii, ex formis Annæ Bergiæ viduæ. 1615.* testante LIPENIO in *Bibl. Philosoph.* rursus ibidem 1624. & latine tantum, Colonia. 1618. Dicavit Noster Io. Georg. HERWARTO ab Hohenburg, J. V. D. Consiliario intimo Bavarico, qui ipse, una cum doctissimo Christoph. GEWOLDO, *Libri huius vulgandi causa maxima exstitit.* Præmittuntur *Animadversiones in idem Chronicon*, quas usque ad finem perducere se haud potuiss., Superiorum jussu ad alia vocatus, dolet Noster. Usus est autem is Codice MSS^{to}. Bibliothecæ Augustanæ: Fata huius Codicis & quomodo Augustam venerit, disces ex *Præfatione* Caroli DU-FRESNE, qui post RADERUM idem *Chronicon* vulgavit; cuius etiam iudicium de RADERI nostri labore addere libet: *Quæ quidem . . . Editio Eruditorum fere omnium calculis est excepta; tum quod prior manca esset ac decurtata: illa suis, ut videbatur, numeris absoluta. Adde quod, cum græca lingua apud plerosque usûs, seu (ut verbo utar Petronii) saporis haud sit publici, latina Raderi versio. cuiusvis lectioni librum promiss-*

miscue exponeret. Utcunque sit, idem DU FRESNIUS addit, nonnulla ab Eruditioribus in *Raderiana* editione fuisse fugillata: id quod etiam *Io. Alb. FABRICIUS* in *Biblioth. græc. T. VI. p. 142. 143.* monet, nominans COTELERIUM, *Ioannem GREGORIUM*, & *Henric. WARTHONUM*, quibus *Noster* labor non admodum arrisit. Sed hæc longius exsequi, brevitatis studium vetat.

XIII. Q. CURTIUS *Rufus synopsis & argumentis illustratus*, in 12^o. *Monachii. 1615.* Iterum, recognitus, *Colonix. in 8^o. Apud Kinckium 1630.* Sic testatur ALLEGAMBIUS. *Mart. LIPENIUS* in *Biblioth. philosoph. T. I. p. 363.* addit editionem *Monachiensem* anni 1530. in 8^o. *Lugdunensem* anni 1634. in 12^o. *Antverpiensem* anni 1669. (non 1569.) in 16^o. Huic Operi, unice scholarium usibus destinato, submitit *Noster* anno 1628. aliud amplius & *Commentariis* illustratum, de quo inferius dicitur.

XIV. *Bavaria sancta, Maximiliani serenissimi Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, utriusque Bavarix Ducis auspiciis cæpta, descripta, eisdemque nuncupata. Volumen I. in folio. Monachii. Ex formis Annæ Bergiæ. 1615. Raphael SADELERUS Antverpianus, Chalcographus Sermi. Maximiliani tabulis æreis expressit & venum exposuit. In Dedicatoria extollit Noster Maximilianum, eiusque consilium dilaudat, quò singulos Bavarix Sanctos tam accurate curiose investigari, tam studiose conscribi, tam eleganter in cæs cælari studuerit.*

Bavarix sanctæ Volumen II. serenissimo Principi Maximiliano, Comiti Palatino ad Rhenum, utriusque Bavarix Duci, S. R. I. Archi-Dapifero, & VII. - Viro Electori, Victori devotum. in folio. Monachii. Ex formis iisdem. 1624. Raphaelæ SADE-

LERI, *Parens & natu maximus Filius . . . tabulis æreis expresseſerunt &c.*

Bavariæ sanctæ Volumen III. memorato serenissimo Principi Maximiliano inſcriptum. Monachii &c. in folio. 1627. Raphael SADELERUS, Raphaelis Filius, tabulis æreis expreſſit & venum expoſuit.

Tribus Voluminibus iſtis acceſſit quartum ſub titulo: Bavaria pia, ſereniſſimæ quadrigæ Albertinæ, ſive quadrigeminis fratribus ſereniſſimis, Ioanni Franciſco Carolo, Ferdinando Guilielmo, Maximiliano Henrico, Alberto Sigifmundo, Alberti F. Guilielmi N. Alberti P. &c. dicata. in folio, Monachii. 1628. Idem Raphael SADELERUS tabulis æreis expreſſit et venum expoſuit.

Hæc de editione principe — Recuſum Opus ſumptibus *Ioann. Caſpari Bencard Bibliopolæ Dillingenſis & Auguſtam*, 1704. Aliam editionem anni 1709. memorat *Io. Petr. LUDEWIGIUS* (2), ſed haud dubie falſo vel per errorem typi; cum ne vobis huius editionis ullibi invenire ſit. Germanicè autem verſum dedit Opus iſtud *Maximilianus RASSLERUS S. I.* anno 1714. *Auguſtæ. Sumptibus memorati Bencardi.* Interim mox dictus LUDEWIGIUS bene monuit: in poſterioribus editionibus, Tabulis æreis, utpote nimia exemplarium procuſorum multitudine attritis, multum elegantiz ac venuſtatis deceſſiſſe.

Pro coronide addere juvat illuſtris *Godofr. Guil. LEIBNIZII* (a) iudicium, de hac *Noſtri* lucubratione dicentis: *Nulla Germaniæ ſuperioris pars meliores Hiſtoricos invenit, quam Bavaria. . . Nam res Eccleſiarum Bavariæ egregie ſunt illuſtratæ & Wiguleio*

(2) In *Germania Principe*, ubi de *Bavaria* agit.

(a) V. Eius *Præſationem* ad novam editionem *Annalium Boicorum* *Ioannis ADLREITTERI*, 1716.

seio HUNDIO & Christophoro GEWOLDO. . . His ad-
jungendus est auctor Bavarix sanctæ & piæ Matthæus
RADERUS S. I. quatuor Voluminibus editis, ubi il-
lustres pietate viros Bavaros, aut in Bavaria floren-
tes recensuit; non tantum quorum nomina in fastos
& martyrologia sunt relata, nec tantum, à quibus
aræ, sacella, œdiculæ, oratoria denominata extant,
etsi in fastis non legantur; sed etiam eos, qui piam
vitam in quocunque loco, statu, ordine egerunt, &
Historiæ testimonio innotuerunt. Neque illud omit-
tendum est, Bollandistas ex hoc Nostri Opere mul-
ta decerpisse, et in suis *Actis Sanctorum* recudi
curavisse.

XV. *Auxilium ad Libros V. Nicolai TRIGAU-
TII de christianis apud Japonios Triumphis, in quo
exponit statum Ecclesiæ Japonicæ ab anno MDCX-
VII. usque ad MDCXX. in 4^{to}. Monachii. 1623.*
Ita habet ALLEGAMBIUS.

XVI. Q. CURTII *Historia de Alexandro M. cum
Prolusionibus, Librorum synopsis, Capitum argumen-
tis & Commentariis ac Indice duplici, in folio. c. figur.*
Coloniæ Agrippinæ. Apud Ioann. Kinckium. 1628.
Editio hæc; notante celeberrimo STRUVIO (b) abs
Eruditis valde æstimatur. Clarissimus Io. Alb. FAB-
RICIUS (c) *Commentarios istos amplos ac eruditos
vocare non dybitavit. Hoc Nostri labore usus est
FREINSHEMIUS, & post hunc Henricus SCHNAKEN-
BURGIUS, qui CURTIUM cum Notis variorum, in
4^o. Delphis & Lugduni Batavorum vulgavit, in
Præfatione sequentia monens: Ingens Volumen
Commentariorum in Q. Curtium consarcinavit Mat-
thæus RADERUS varia quidem doctrinæ copia & quo-
libet apparatu, sed (ut in talibus fieri solet) ex LIP-*

L 4

SIO,

(b) In Bibliotheca historica.

(c) In Bibliotheca Latina. p. 573.

SIO, BRISSONIO, aliisque per quamcunque causam, dummodò eruditionem etsi loco alienam præferant, congesto: ex quibus selegimus ea, quæ vel receperat doctissimus FREINSEMIUS, vel quæ ad Latinitatem et singulares loquendi modos probandum, aut ad alia quæcunque utilia & apta apparebant. Prolusiones, in quibus & de Curtio, & de Alexandro M. multis egit, contraxerat idem Freinshemius; quæ cum satisfacere omnibus possint, in iis adquevimus.

XVII. Quatuor Novissima, versu dimetro jambico acatalectico & catalectico scripta. *Monachii*. in 32^o. 1629. Ita ALLEGAMBIUS. Teste LIPENIO in *Biblioth. theol. T. II. p. 355.* rursus *ibidem*, in 16^o. 1647. prodiit.

XVIII. *Ad L. Annæi SENECEÆ Medeam Commentarii.* in 12^o. *Monachii. Apud Melchiorum Segen.* 1631. Confer *I. A. FABRICII Bibl. latin. & SENECEÆ Tragoediarum Editionem c. notis Variorum,* à *Ioanne Caspares SCHROEDERO* adornatam, *Delphis:* 1728. 4^{to}. qui *Nostri* Observationes hinc inde interspergere non intermisit.

XIX. *S. Ioannis Scholastici, Abbatis montis Sina,* qui vulgò CLIMACUS appellatur, *Opera omnia.* in folio. *Græcæ & Latine. Lutetiæ Parisiorum. Sumptibus Sebastiani Cramoisy.* 1633. Præcedit RADERI nostri *Ifagoge*, in qua is de persona, de nomine, de vita CLIMACI; de *Interpretibus, Scholiastis, Editionibus* eiusdem, & præcipue de hac nova sua editione; denique de *variis MSSis. græcis Codicibus,* CLIMACI Opera continentibus, differit. Inde discimus *Nostro* tres *Codices Augustanæ,* quatuor *Electoralis Bavaricæ,* unum ab *Andrea SCHOTTO S. I. sacerdote Antverpiâ* missum, ad manus fuisse. Sequitur *Scala Paradisi cum Scholiis græcis.* Hanc *Liber ad Pastorem,* itidem *Scholiis græcis* munitus, exci-

excipit, totique Operi finem *Index Rerum præcipuarum* facit. De hac editione conferri poterit *Io. Alb. FABRICIUS in Bibl. græc. T. VIII. p. 619.* Iste autem RADERI labor recusatus, sed latine duntaxat, in *Bibliotheca maxima Patrum*, ultimæ editionis *Lugdunensis, T. X. p. 389. seqq.* Confer *Acta SS. BOLLANDI, T. III. Mart. p. 835.*

XX. *Commentarii ad SENECÆ Troades, & Thyesten*, quos moriens prælo paratos reliquit testante ALLEGAMBIO.

XXI. *Menæa Græcorum Græco-Latinis evulganda*, quæ teste SOTVELLO tribus Tomis in folio latine vertit notisque illustravit, addito etiam Tomo singulari, seu *Indice generali Sanctorum omnium cuius cuius nationis, loci, conditionis.* Verum illis ultimam manum non imposuit morte præventus, uti refert BOLLANDUS in *Tom. I. Ianuarii, in Præfatione generali, p. 55.* ubi ait: *Ediderat RADERUS quondam piæ et jucundas, acceptas fere & Menæis, Historias Vitasque Sanctorum libellis aliquot, quibus Viridarii præfixerat titulum. Adjecit deinde animum, ut ea omnia, quæ in Menæis de Sanctis memorantur, latine verteret annotationibus illustrata. Egeram, illius rogatu, cum Balthasare Moreto, ut eas lucubrations prælo subjiceret. Responderat hic: si Auctor in animum induceret, non nudas Divorum Historias latine edere, sed integra omnino Menæa recognoscere . . . eaque interpretari, se græco - latine elegantè excusurum esse. Non displicuit optimo seni consilium; etsi haud fortassis pares tanto Operi jam vires erant: sed haud diu superstes fuit. Penes me etiamnum illius Autographum est, quo et usus sum quandoque &c.* Et in *Tomo II. Aprilis, p. 609.* de eodem Opere dicitur: *Historia sacra, ex magnis Ecclesiæ græcæ Menæis deprompta, latine facta, ob-*

servationibus emendata, explanationibus illustrata à Matthæo RADERO S. I. Presbytero, typis parata fuit jam inde ab anno 1631. . . . Hic erat Operi titulus magnificus sane & vasto Viri diligentis voto magis par, quam rei paratæ modulo; nam Historia quidem aliud non continet; quam elogia Sanctorum ex Menais collecta. . . . Defuit, qui molem tantam, quantam prima fronte continere videbantur octo codices chartacei, susciperet in Bavaria imprimendam: et requisitus. . . Balthasar Moretus. . . exigebat, ut latinae Versioni græcus adderetur contextus. . . Interim Monachii extremum diem obiit Auctor anno 1634. exente, atque inter manus Bollandi hæsit Autographum, judicantibus Superioribus, haud alibi utilius deponendum, quam apud eum, qui eandem spartam excollandam suscepisse sciebatur. Quanquam autem Bollandistæ profiteantur, istud Nostri Opus exiguo sibi usui fuisse, utpote ipsos fontes habentibus; tamen eodem usi sunt in Tomo II. Aprilis, p. 610. ubi Ioannis Epirotæ Martyris CPræni historiam, à Nostro ex quadam Anthologia græca erutam, alibi nusquam repertam, luci dederunt. Usi eodem quoque sunt in Tomo II. Septembris, p. 181 - 186.

XXII. Restat de *Epistolis Nostri* dicere. Harum IV. *anecdote* sunt, quæ ad Carolum STENGELIUM extant, uti in huius *Vita* (d) monui. Agitur in illis de *Vita S. Symperti*, quam STENGELIUS a se scriptam Nostro muneri misit: et de *Bavaria sancta* quam tum Noster moliebatur. *Editæ* sunt, quæ in *Eliæ EHINGERI Velitatione epistolari* (e): & in *Petri BURMANNI Sylloge Epistolar. à Viris illustr. script. T. II. p. 33.* habentur.

RIED-

(d) Exhibui illam in *Volum. III. Bibliothecæ Augustanæ*, ubi vide p. 146. in *Notis.* & p. 153.

(e) Vide *Bibliothecæ Augustanæ Vol. II. p. 62.*

RIEDLINUS (*Vitus*) Medicus

Ea fuerunt *Viti* RIEDLINI merita, ut illustris *Academia Leopoldino - Cæsarea Curiosorum naturæ, in Artibus physico - medicis*, eadem omnino posteritati tradenda duxerit, atque ut illa haberet, quod imitetur, et quæ ad exquisitiorem salutaris scientiæ culturam excitetur, encomium Nostro in *Appendice Tomi II. p. 173.* perhonorificum scripserit: quod ferme sequens est.

Prodiit in hanc lucem RIEDLINUS in medicæ scientiæ splendorem atque incrementum, quod postea comprobavit eventus, die XIX. Martii, anno Reparatæ salutis MDCLVI. Patre usus est *D. Vito* RIEDLINO Medicinæ Doctore et Physico *Ulmenfi* excellentissimo meritissimoque: gavifus quoque Avo, Abavo, Tritavoque Chirurgis et Lithotomis primariis *Ulmenfisibus*, suo tempore sat celebribus. Matrem coluit *Annam Mariam Blossiam*, matronam omnibus virtutibus, quæ sequiorem sexum ornant, oppido conspicuam, cuius avus *Tubingæ* Professoris munere functus; pater autem, physicam scientiam in *Gymnasio Ulmenfi* professus, medicam simul artem, non sine nominis celebritate ambo exercuerunt, eandemque in majus meliusve provehere pro viribus allaborarunt (a). Verbis exprimi vix potest, quanta sollicitudine recens natum et sacro aquæ lavacro ablutum, sub crescentibus postea annis, educandum *Nostrum* curarint optimi parentes, probe perpendentes, in pia et circumspecta Liberorum educatione plurimum momenti situm esse. In *Gymnasium*, quod *Ulmæ* floret, satis mature, ceu generosæ indolis plauta

I. S-

(a) *Sebastianus Blossius*, Physicus *Ulmenfis*, editis etiam Scriptis medicis nomen sibi fecit, teste *KESTNERO* in *medicinischem gelehrten - Lexicon.*

translatus, mature etiam, magis tamen magisque temporum progressu, qualis futurus esset, præceptoribus suis, quos habuit, longe fidelissimis aperuit. Fuit etenim in *Nostro*, adhuc puero, non ea tantum ingenii docilitas, ut feliciter et velociter arriperet, quæ ei tradebantur; sed, et illa in eo fulsit virtus, ut raræ eum à pietatis tramite, discendi ardore, et *classicorum*, quos vocant, *Auditorum* lectione avocarint deliciae.

His igitur doctrinis artibusque; quibus puerilis ætas inter Christianos impertiri debet, præmunitus, demum in amplissimos *Philosophiæ* campos expansiatus *Noster* est tam felici successu, ut etiam *Medicinam*, ad quam singulari ferebatur propensione, viam ei pandente *D. Ioanne PFAUZIO* Philosophiæ et Medicinæ Doctore, et Professore in Gymnasio *Ulmensi* celeberrimo, primoribus gustaverit labris. Solidiores postea *Tubingæ*, quam anno MDCLXXIV. mense Februario petiit, ei præbuit cibos excellens inprimis *D. Georg. Balthasar MEZGERUS* (b), quos *Noster* intra biennium tanta aviditate ingessit, ut indies majora hinc in arte medica profectuum senserit incrementa; quæ tam grato memorique agnovit animo, ut huic Præceptoris et Hospiti suo maximas se debere gratias, sæpenu-mero fassus fuerit. At enim vero, cum, ob rariores anatomicas exercitationes, famem suæ *Φιλῶμαδείας* ibi non omnino explere posset, *Patavinum* Lyceum anno MDCLXXVI. adiit, ibidemque ab ore *Raym. Joh. FORTIS, P. de MARCHETTIS, MONTAGNANÆ* (c) aliorumque Virorum ce-
leber-

(b) De egregio hoc, & pluribus lucubrationibus vulgatis, adyto Medico videlicet mox citatum KESTNERUM.

(c) Sicut magna, me hercle! nomina — De iis consuli poterunt PAPADOPOLIUS in *Hist. Gymnas. Patav.*

Feberrimorum sedulus pependit, cum iisque crebros sermones tam privatos quam publicos miscuit; cuius rei duplicem hunc quoque tulit fructum, ut a *Natione Germanica* Consiliarius *Anconitanus*: a *Facultate* vero *medica* prævio examine consueto, sine tamen disputatione publice habita, anno MDC-LXXVI. die 27. Septembris *Philosophiæ et Medicinæ Dozor* creatus fuerit.

Quemadmodum vero aliàs res angusta domi bonis sæpe ingeniis, forte meliori dignis, obstaculo est, quo minus studiorum stadium ex animi sententia emetiri queant; ita *Noster*, domesticis destitutus subsidiis, patriam suam anno MDCLXXVII. repetere coactus est; in qua cum præter opinionem omnem non inveniret, unde pro dignitate vivere posset, *Augustam Vindelicorum* se contulit; ubi brevi temporis spatio variis honoribus et officiorum titulis se condecoratum vidit. Etenim ex singulari, quo *Vir* quidam illustris, cuius memoriam RIEDLINUS perpetuo suspexit, ipsum exceperat favore, in *Collegium Medicum* anno MDCLXXIX. die 4. Maii gratiose receptus est, et magno illius modo laudati illustris Viri patrocinio suffultus, in munere *Physici ordinarii D. Ioh. Ludovico HENISIO* (d) anno MDCLXXXII. die 19. Septembris successit; anno MDCLXXXII. die 5. Novembris primum, atque iterum anno MDCLXXXIX. per vota maiora *Collegii Medici Decanus* electus; anno MDC-LXXXIX. die 29. Maii, in locum *D. Lucæ SCHROECKII Senioris*, examini obstetricum Præfectus, et
ab

MANGETUS in *Biblioth. Script. medic. Van der LINDEN de Script. med.*

(d) Huius Viri laudes in *Bibliotheca mea* non præmittentur; quando de *Medicis Augustanis sæculi XVII.* sermo incidet.

ab illustri *Academia Curiosorum Naturæ* Præside immortaliter merito, *D. SCHROECKIO filio*, in celebratissimum illud *Collegium*, tanquam Socius, *Crateris* agnomine cooptatus, eademque porro benevolentia anno MDCCIX. mense Septembr. eiusdem laudatæ *Societatis Adjunctus* denominatus est.

Licet igitur *Augustæ Vindelicorum Noster* in omnibus negotiis practicis ea gauderet felicitate, et ab omnibus tanti æstimaretur, ut se *Augustanum Physicum* felicem, suamque familiam satis laute sustentatam prædicare potuerit; divinæ tamen benignitati, *Nostrum* patriæ suæ reddere, placuit. Anno enim MDCCIV. die 19. Septembris benevolis ab inclyto Senatu *Ulmenfi* litteris, quas dicunt, *vocatoris* acceptis, et divino nutui, et voluntati Patrum patriæ obtemperaturus, mense illo exacto, cum tota sua familia *Ulmam* repetiit; quæ non ita multo post civium numero iterum adscriptum, non honorifico solum salario dotavit, sed et ad varios tam medicos quam scholasticos, per destincta temporum intervalla, evehit honores. Namque illa præstantissima ingeniorum nutrix anno MDC-CVIII. examini Chirurgorum *Nostrum* præfecit, postea anno MDCCXIII. die 6 Aprilis in locum pie denati *Alphonfi KOHNII*, Medicinæ Doctoris excellentissimi, *Seniorem Collegii Medici* suffecit; tum et anno MDCCIX. *Conventui*, quem dominant, *Scholastico Visitatorum* in Gymnasio adjunxit; et denique anno MDCCXIII. triumvirali *Scholarcharum* numero adscripsit.

Quanta cura, sollicitudine, atque alacritate claficorum æque ac profectorum studiosorum commodis Medicique Collegii auctoritati ac splendori invigilaverit *Noster*, animo longe gratissimo agnovère ad unum omnes illi, qui singulares profusus

HEDLINI dotes atque eruditionem recte æstimare idicerunt. Non est, quod de Praxi eius medicamentum dicamus, cum de illius frequentia et feci successu vel solæ typis impressæ tot *Observationes* testentur, et multo plures ineditæ amplius staturæ essent, si quidem lucem vidissent. Mittimus etiam, quanto amore et qua veneratione *Noster* a singulis fere exceptus fuerit, qui illius circumspeditionem, solertiam, dexteritatemque, et ut paucis multa complectar) methodum cito, uto, et jucunde curandi, in semetipsis animadverterunt: Quibus virtutibus cum *Noster* enituit, mirandum non est, quod etiam Principes, Comites, Liberos, Barones, et Nobiles sibi faventes habuit, eorumque clementiam, gratiam, ac avorem ad finem usque vitæ suæ quam felicissime conservavit.

Præter virtutes medicum Virum exornantes longe major virtutis splendor enituit ex singulari pietatis zelo, et divini Numinis cultu, quem assidue ectatus est: *Verbi* namque quotidianus ferme fuit auditor non solum, sed et indefessus scrutator. *Biblia* sacra plus quam trigesies perlegit, atque *commentariis* in usum domesticum illustravit; *meditationes* super emphatica verba et nomina biblica conscripsit; singula capita totius sacri Libri versibus *germanicis* comprehendit; innumera dicta in ligatum sermonem eleganti vena transtulit. Non dicam de reliquis eius quotidianis meditationibus matutinis et vespertinis, quibus quotidie primam et ultimam diei horam dicaverat, relictis etiam scripto multis voluminibus.

Neque vero omittendus est singularis eius amor erga Proximum, et in pauperes liberalitas, cuius innumeri adfuerunt testes: ipse vero sæpius, doloit.

doluit vehementer, quod non æquali erga omnes lenitate semper usus fuerit, utpote ad iracundiam naturâ paulo proclivior.

Ad matrimonii fœdus quod attinet, conjugem, propitio Deo, sibi anno MDCLXXIX. elegit virginem virtutibus sexum ornantibus condecoratissimam, *Annam Magdalenam*, Viri amplissimi *Davidis MILLERII*, mercatoris apud *Ulmenses*, spectatæ integritatis filiam, ex qua undecim filios et septem filias progeneravit quidem, sed tamen præmaturam plerorumque mortem luxit; imprimis vero obitum filii maximæ spei, jamjam *Medicini Candidati*; quoties facta fuit illius mentio. Superfuerunt, dum viveret, unicus filius natu maximus, *Officialis Cæsareus*, ac tres filiæ, quarum natu minima *Jeremiæ ADAMO*, Medicinæ Doctori, et Physico *Ulmensi* nupsit, ex qua duos sibi natos nepotes magno cum gaudio vidit.

Restat, ut paucis subnectamus ea, quæ ad morbi, cui tandem succubuit *Noster*, historiam pertinent. Duobus autem ante mortem annis, maximam partem cum morbo molestissimo, arthritide scilicet, conflictandum ipsi fuit. Inceperat affectus ille anno MDCCXXI. mense Decembri magno cum urinæ ardore, ut non immerito de calculo, aut minimum nephritide metus subortus fuerit; medicamentis interea, licet frustra oppositis, huic morbo alias maxime idoneis. Tandem mense Februario in scenam prodiit ille Protheus, arthritidis nempe; et primum quidem in pede sinistro, deinde in nucha, et tandem manu dextra, tantos cruciatus per tres quatuorve menses attulit, ut per longum tempus illud æger domi se continere coactus fuerit. Varia equidem remedia identidem applicabantur: non omnia diætâ fere scrupulo-

palosa et nimis accurata; sed tantum abfuit, ut hisce restitutus fuerit pristinus corporis animique vigor, et aquæ medicatæ *Bollenses* vulgo *Boller-Bad* manûs hebetudinem, et atrophiam sustulerint, ut indies major naturæ et totius oëconomix animalis infirmitas observari potuerit, ex eo etiam colligenda; quod herniæ, per viginti jam annos gestatæ, et machinâ sat idoneâ custoditæ, sæpius acciderit prolapsus, magna cum virium prostratione, et dolorosis symptomatibus conjunctus; qualis etiam ultima septimana ante eius obitum contigerat. Cito quidem tunc restituebatur: cum autem non ita post iter instituere ad ægrum illustrem, duo milliaria ab urbe *Ulmensi* habitantem, cogèretur, novumquæ ex consuetudinis et manualis operationis defectu passus esset prolapsum, mox sequentibus vomitibus, insuper temporis et tempestatis inclementia, nec non viæ salebrosæ incommodis concurrentibus (unde herniæ refrigeratæ ac prolapsæ post reditum tentata repositio perfici non potuit) cum præterea etiam alvus, ab illo tempore ad vitæ finem usque, neque internis neque externis medicamentis et clysteribus fortissimis referari potuerit, hinc sensim sensimque intra spatium quinque dierum ingens abdominis inflatio consecuta est, febrisque inflammatorix apparebant indicia, et metus iliacæ passionis non frustra ipsi etiam ægroto injiciebatur. Hisce igitur periculosissimis rerum circumstantiis ad vitæ incitas redactus, supremo *Vale* conjugii, filio, filiabus, mæstisque adstantibus dicto, animam exhalavit: cum vixisset annos LXVIII. Medicinam autem fecisset annos XLIII.

Obit autem annò MDCCXXV. die 19. Februarii: uti docet *Catalogus DD. Collegarum Acad. Bibl. August. Alph. V.* M demia

demia Curiosorum naturæ, Actis eiusdem Academiae præmissus, Tomo I.

Dicendum modò, de Lucubrationibus *Nostri* tum editis, tum ineditis. Sunt illæ

I. *Observationum medicarum Centuria I.* in 12^o. *Augustæ Vindelicorum. Apud Theophilum Göbelium. 1682.* Hanc *Centuriam* laudandam sibi duxerunt *Eruditi Lipsienses*, in *Actis* suis, ad annum 1683. p. 278.

Observationum medicarum Centuria II. in 12^o. *Ulmæ. 1721.* Ita testantur *Acta Academiae Curiosorum naturæ, T. II. in Appendice.*

Ioann. Iac. MANGETUS in *Biblioth. Scriptorum medicor. T. IV. p. 71.* post indicatam harum *Observationum Centuriam I.* addit: & *Centuriæ tres, ibidem. 1691.* Etiam *KESTNERUS* in *Biblioth. medic. de Centuriis tribus* scribit. Sed vereor, ne ambo male moneant, cum *tertiam* nunquam prodivisse, ex inferius dicendis patefcat. Interim forsitan *priores Centuriæ duæ*, iteratis typis *Augustæ, 1691.* vulgatæ fuerunt.

II. *Lineæ medicæ singulos per menses quotidie ductæ, 8^o. Augustæ Vindel. Impensis Laurentii Cronigeri & Hæredum Theoph. Göbelii. 1695.*

Linearum medicarum Annus II. & III. seu 1696. & 1697. Ibidem. Apud eosdem. 1697. & 1698.

Linearum medicarum Annus IV. 8^o. Ibidem Apud eosdem. 1698.

Linearum medicarum Annus V. 8^o. Ibidem. Apud eosdem. 1700.

Linearum medicarum Annus VI. & ultimus. in 8^o. Ibidem. Apud eosdem. 1701.

Non sine multa laude *Eruditi Lipsienses* hæc *Nostri (Viri, aiunt, experientissimi)* Opus, quod tum medicæ artis tyronibus multum utilitatis afferre, tum etiam doctioribus ansam meditandi sufficientem præ-

probere poterit, in *Actis* suis, ad annos 1696. 1698. 1699. 1700. & 1701. memorarunt.

III. *Iter medicum sanitatis recuperandæ causa non solum institutum, sed et feliciter Dei gratiâ finitum: cuius occasione tum morbus Auctoris, & quæ circa eum contigerunt; tum plura aliâ curiosa et utilia communicantur. Cui annectuntur Georgii RIEDLINI, Auctoris avunculi, Observationes chirurgicæ rariores.* in 8°. *Augustæ Vindel.* Apud eosdem. 1702.

IV. *Methodus curandi Febres.* in 8°. *Ulmae.* 1705. Hanc *Nostro* tribuunt *Acta Academiae Curiosorum naturæ l. c.*

V. *Manuductio ad Studium medicum à Patre D. Vito RIEDLINO conscripta, & à Filio homonymo notis necessariis illustrata.* 8°. *Augustæ Vindel.* 1706. Vide mox citata *Acta.*

VI. *De Embrochiis.* *Ulmae.* in 4°. 1706. Vide eadem *Acta.* Confer *KESTNERI medicinisches Gelehrten-Lexicon.*

VII. *Medulla Pharmacopœæ Augustanæ ultimo editæ, continens ea præcipue medicamenta, quæ Auctor, ex illa desumptâ, frequenti usu experta habet: eorumque plerorumque dosin et modum utendi subministrans; cum annexis viribus, experientiâ ut plurimum confirmatis, quorumvis Simplicium, in sic dicta Taxa, Pharmacopœæ annexa, contentorum.* in 8°. *Augustæ Vindel.* Sumptibus *Georg. Wilhelmi Kühnen.* 1707.

VIII. *Curarum medicarum, in quibus varii casus, historiæ & observationes continentur, Millenarius.* in 4°. *Ulmae.* 1709. Apud *Georg. Wilh. Kühnium.* Laudant Opus hoc iterum *Eruditi Lipsienses* in *Actis* suis, ad annum 1709. p. 315. ubi monent: *Nostro* non solum curæ fuisse, ut artem medicam rite exerceret, sed et *Observationes proprias* litteris consignando. eandem promoveret.

IX. *Kurze und gründliche Unterweisung, wie die meisten Krankheiten zu kuriren?* in 8°. *Ulmæ*. 1714. 1717. 1719. 1728. Hanc lucubrationem sub fictio *Iatrophili Sinceri* nomine vulgavit, pluries (ut vidimus) postea recusam.

X. *Bericht von Verrichtung eines Wundarztes.* in 8°. *Ulm*. 1721. Ita habet *Theoph. GEORGII* in *Bücher - Lexicon*.

XI. *Kurze Beschreibung des unterm Nahmen des Maur-Bads, in Augspurg befindlichen-Gesund-Wassers.* in 8°. *Augspurg*. 1722. In *Præfatione* Auctor monet: scripsisse se hoc Opusculum, cum *Egrefibus acidulis Augustæ* uteretur, quibus memorati balnei usum junxerat. Fatetur insuper, se, annis abhinc *tredecim* fere annuo artuum dolore conflictatum, has aquas saluberrimas esse expertum, *sulcepissèque* dehinc sobolem copiosam.

XII. *Observationes variæ quamplurimæ, quas tum ad Acta Academiae Curiosorum naturæ, tum ad Ephemerides germanicas eiusdem Academiae studiose contulit: et quas sequens elenchus complectitur.*

1. Hydrophobia tardius enata.
2. Lepra hodierna sanata.
3. De scroti Tumore ex colica.
4. De Gutturi inhærentibus, forte fortuna rejectis.
5. Convulsiones periodicæ cum Ischuria.
6. De Empyemate sectione feliciter curato.
7. De Calculo, urethræ infixio.
8. De Calculo peniformi.
9. De Aponia et surditate a fascinatione.
10. De Experimentis, non semper succedentibus.
11. De Desipientia ex fusi parte, manui dextræ infixæ.
12. De Aponia, precum et angelicæ salutationis recitationem non impediente.
13. De Ulcere, fascinationi falsò adscripto.
14. De Arthritide vaga, in febrem malignam perniciosam degenerante.

15. De Topasio mixta sapphiro. 16. De Pavonis albi notatu digna exclusione. 17. De Calculi vesicæ, mediante sectione, felici extractione. 18. De Febre maligna, salivatione soluta. 19. De Pica sætui noxia. 20. De Turturum dubia castitate. 21. Ex Calculo sub lingua subsequente mala. 22. De Hormino traumatico. 23. De Calculo vesicæ arte agglutinato, feliciter exempto. 24. De mania hæreditaria. 25. De Ischuria, puncturâ in perinæo curata. 26. De Cervi ventre, salva vita, globo trajecto. 27. De rara Respirationis difficilis causa. 28. De Arthritide, per contagium contracta. 29. De Polypo, nicotianæ fumo curato. 30. De Calculis, e naribus extractis. 31. De Digito pedis maximo feliciter servato. 32. De Galli gallinacæ vindicta fat acri. 33. De Ischuria, cum cervice vesicæ arctius clausa, lethali. 34. De Sempervivo in sero, post erysipelas à pede manante, parùm conducente. 35. De signis quibusdam, herniam intestinale antecedentibus. 36. Hydrocephalus viginti quatuor annorum. 37. Hermaphroditus primo pro puella, hinc pro masculino habitus. 38. Ischuria à musculo vesicæ detrusore, munere suo non fungente. 39. Aurum in ventriculis anatum reperi- tum. 40. Hydrops pectoris prædictus, et sectione confirmatus. 41. Ischuria catheteri, sæpius applicato, imprimis cedens. 42. Sternutatio creberrima et vehemens, lenissimo remedio cedens. 43. De uteri Hydrope, et in hoc non juvante paracentesi. 44. De Mictione pultacea diuturna, in dorsi ulcera degenerante. 45. De Cornuum cervinorum ramis 46. De Pecorum, lue defunctorum, carne merito suspecta. 47. Acidulæ *Ueberkingenses*, ab *Audore Observationis* in usum deductæ. 48. Paracentesi non juvante apertum cadaver. 49. Aquæ *Zaisen-*

husanae, non quibusvis salutare. 50. Catheteris insignis usus. 51. Catheteris vomitu rejecta. 52. Icterus brevi Marti cedens, huiusque medicamenti innocentia. 53. Acidulæ *Egranæ*, egregias exercentes vires. 54. Abdominis percussio, mortem subitanam inferens. 55. Martis usus vindicatus. 56. Cicutæ aquatica, loco petroselinæ comesta. 57. Catheteris frequentiore applicatione sequentia mala. Confer, si lubet, *I. J. MANGETI Biblioth. Script. medicor. T. IV.*

Anecdota quæ reliquit *RIEDLINUS*, sequentia recensentur in *Actis Curiosorum Naturæ, l. c.*

I. *Curarum medicarum Chiliae. II. III. IV.*

II. *Observationum medicarum Centuria III. IV. V. VI. & VII.* Vide, quæ superius, de editis *Nostri Operibus, No. I.* monui.

III. *Descriptio nova balnei Bollenfis, vulgò Bol-ler - Bad.*

IV. *Exercitationes complures theologici argumenti.*

V. *Animadversiones in SS. Biblia.*

VI. *Meditationes piæ de Passione Domini & Rebus variis de repente objectis.*

VII. *Pœmata sacra plura.*

De quibus superius in *Vita*, saltem ex parte, mentio facta est: et quibus omnibus, per diversa Volumina digestis, Auctor tum otium, quod à medicina faciendâ concessum fuit, consumpsit: tum pietatis suæ egregia documenta dedit.

ROSEFFIUS (Gregorius)

ROSEFFIUS, patre Italo genitus, primam lucem *Landshuti*, clarissima *Bavariæ* urbe, anno MDXXXVIII. II. Calendas *Augusti* aspexit, parentes habens virtute magis ac religione, quam genere aut opulentiâ spectatos: cuius laudes dum cele-

celebrare paro, ipsis *domesticorum Scriptorum* (a) verbis ac testimoniis uti placet.

Noster, cum inter litterarum studia adolevisset, atque ita adolevisset, ut & *Artium Magister*, & *SS. Theologiae Licentiatus* renunciatus fuerit, anno Christi 1559. 16. Cal. Octobr. ætatis autem anno 21. *Viennæ*, urbe *Austriæ* principe, *Societati Iesu*, inter ipsa illius primordia, sese addixit. Tyrocinii sacri Magistrum, eundemque Collegii *Viennensis* Rectorem nactus *Ioannem VICTORIAM*, eius tantas brevi de se excitavit spes, ut majoribus jam tum rebus in *Societate* destinaretur. Itaque cum *Romæ* sub idem tempus desideraretur, qui contubernio *Germanorum* ad *S. Marcelli* instituto præesset, non alius visus est eâ provinciâ dignior: missusque *Romam*, quanquam expers etiamnum sacerdotii, haudquaquam Præsidentem de se opinionem fefellit. Specimina disciplinæ cum in ceteris contubernii alumnis instituendis egregia dedit, tum maxime in *Philippo Eduardo*, *Octaviano Secundo*, *Antonioque FUGGERIS*, quos moribus artibusque optimis probe informatos in *Germaniam* remisit.

Ex eo munere *Viennam* revocatus, in sacerdotium venit haud paulo citius, quam pro *Societatis* consuetudine: moxque *Augustæ Vindelicorum* in summæ Ecclesiæ cathedra *P. Petro CANISIO*, Viro maximo & *Provinciae* Præsidi, succedere (b)

M 4

tamet-

(a) Sunt illi *Historia Societatis Iesu Provinciae Germaniæ superioris*. ALLEGAMBE *Scriptores Societatis Iesu*. *Julius CORDARA Historia Societatis Iesu*. *Annales Collegii Societatis Iesu Augustani*. SOTVELLUS in *Biblioth.*

(b) Tenuit usque in annum 1566. CANISIUS fugge-
stum suum; sed quod non raro vel *Provinciae*, quam regendam susceperat, negotia, vel altiora iussa abire eum alio cogere, vices eius cum bona *Canonicorum* venia

tametsi vix annum ætatis *duodetrigesimum* superasset, iussus inter præcipua *Societatis*, in *Germania*, effulgere lumina cœpit. Venit autem *Noster Augustam*, *Vir* (ut *RADERUS* in *Vita Petri Canisii*, p. 155. ait) *magnis corporis & animi viribus, consiliisque pollens, quod ea tempestate eaque in urbe maxime desiderandum erat, ab eloquentiæ laude in primis commendatus*, senescente annò *MDLXVI.* quo, mense *Decembri*, coram *Othone TRUCHSESSIO* (c) *Episcopo & Cardinale* concionandi officium auspicatus est. Huius primordia minus jucunda, minusque grata *Nostro* acciderunt, quippe non nisi duodenos aut quindenos ut plurimum auditores numeranti; sive quod *Augustanus populus* a novo homine abhorreret: sive quod *CANISII* memoria nimis alte in civium animis infederit atque inveterarit. Attamen illis concionum *Nostri* initiis tanta vis fuit gratiaque tanta, ut fama indies latius manante, ingens passim excitarit sui audiendi desiderium: quo demum sic summi infimique exarsere, ut, quamquam ad sextum usque et tricesimum annum, rarissimo sane exemplo, continuus & frequentissimus ex eo suggestu orator fuerit, tamen audientium animis nulla vel satietas vel fastidium ullum obrepserit: eaque ex illo tempore semper *Noster* auditus sit approbatione ac fructu, ut *Augustani* redditum sibi suum apostolum, *Petrum CANISIUM*, esse professi sint. Quod autem
Phi-

alii e *Societate* tantisper suppleverunt. *Dux Albertus* suum in aula oratorem, *Martinum STEVARTIUM* aliquamdiu commodarat. Eius, in *Bavariam* revocati, locò submiserunt *Reginæ Oenipontanæ Hermetem HALBPAURIUM*; donec tandem *ROSEFFIUS* mense *Octobri Augustam* venit, cui *CANISIUS* cathedram ex toto cessit

(c) *Maximi Viri* huius laudes perscriptas habes in *Alphabeto IV. præsentis Bibliothecæ meæ.*

Philippus ALLEGAMBIUS notavit: *Gregorium* quinquaginta & amplius annos in concionandi officio posuisse; vel mendosioribus quibusdam Scriptis, quorum exemplar *Monachii* exstat, deceptus fecit: vel de iis etiam annis, quibus, jam concionatoris officio defunctus, ROSEFFIUS per intervalla subinde & pro re nata ad populum dixit, interpretandum est.

Sane eum, jam emeritum, & *Provincialatis* officio gravatum pluries de cathedra perorasse invenio. Sic anno 1001. iterumque anno proximo 1602. ad *Augustanos* & monte *santo*, seu *Andecensi* reduces, pios peregrinatores in *S. Afræ* in campo *Lycio* dixit, suum quondam doctorem fidelissimum avide intuentes ac salutantes. Sic anno 1608. cum *Henricus* Episcopus veterem Ecclesiæ *Augustanæ* consuetudinem, in pervigilio *S. Michaelis* (quoties id in *Dominicam* diem incidisset) Sanctorum Reliquias ex parochiis & coenobiis in summam ædem comportatas populo ostendendi, ab introducta in urbem *Augustam* *Lutheri* doctrina per 86. annorum spatium omissam instaurasset, *Noster* jubente Episcopo ei solennitati sacra oratione initium fecit, quâ antiquissimum Divorum pignora colendi ritum ab omnibus retro sæculis usurpatum, cum Scripturarum oraculis maxime convenientem, gravissima priscorum Patrum auctoritate confirmabat. Sic anno 1610. jam *Ex-Provincialis*, in Synodo *Augustana* abs eodem *Henrico* habita, peroravit; de quo paulo post sermo redibit. Sic eodem anno 1610. in cœnobium *Andecense* à Proepiscopo & Vicario generali *Augustano*, Commissario episcopali ad electionem novi Abbatis post mortem *Chrysofomi* deputato perductus, antequam ad suffragia iretur, pro consuetâ eloquentiâ ad eligentes verba eventu optimo fecit.

Evangelicæ igitur facundix in Ecclesia *Augustana* princeps, ni CANISIUS præcessisset, haberi ROSEFFIUS potuisset. Perquam apposite is non ad suadendum duntaxat docendumque, sed (quod in sacris concionibus præcipuum est) ad permovendum etiam dicebat; magisque spiritu atque interioris cuiusdam impressione virtutis percellebat animos; quam ubertate verborum aut composita ad plausum oratione aures implebat: atque ob id lubentissimis animis a plebe audiebatur. Quin etiam Principibus purpuratisque *Romanæ* Ecclesiæ Patribus in amore atque in veneratione maxima fuit; *Othoni* imprimis TRUCHSESSIO, qui (præter amplissimas a *Romana* Sede ad ea etiam sacri fori munia, quæ supremæ sunt potestatis, pertinentes facultates *Nostro* impetratas) eum unum præ aliis maxime idoneum iudicavit: à quo sacrosancta *Concillii Tridentini* Decreta, in Synodo diocesana *Dillingæ* anno 1567. habita Episcopi nomine, proponerentur: proposita per universam subin diocesin circumferrentur. Qua re factum, ut *Noster* sicuti prius urbem *Augustam*, ita jam *Sueviam* universam sui fama impleret, habitis coram Synodo concionibus Germanicis tanta cum eloquentia, ut omnes in admirationem sui rapuerit. Similiter & *Henricus* Episcopus *Augustanus* (d) *Nostri* operâ, in Synodo à se *Augustæ* anno 1610. celebrata, utendum sibi duxit; nam cum ad ea sacra Comitia e *Suevia* magno numero, nec pauci e *Bavaria*, frequentes cænobiorum Præfules, oppidorum Paræci, Decanique, communi *Syllabo* singulatim nominati, convenissent: Patrûmque Senatus die Dominico, qui in tertiam Octobris inciderat, excitatum in

(d) De *Henrico* KNOERINGIO episcopo dixi in eodem *Alphabeto* IV.

in *D. Virginis* summa æde Tabulatum occupasset, Ecclesiastes *noster ante meridiem* de ea re Concionem patrio sermone allocutus est, *P. Ioanne SALLERO* (*) qui priori in cathedram ipse successerat, latine ad Concilium sacrosque Ordines *post meridiem* dicente, utroque maxima urbis & auditorum, qui sermonem frequentissimi attenderant, approbatione excepto.

Uti vero ROSEFFIUS, e cathedra perorans, maximæ voluptati orthodoxis fuit, etiam ex eo, quod mira felicitate difficillimas quæstiones vel rudibus explicaret ad captum: ita magno heterodoxis, quorum errores luculentius revincebat, terrori extitit. Inde frequens illi nata cum acatholicis Præconibus, nec vacua victoriis dimicatio. Harum unum alterumve exemplum commemorare tum consonum, tum vindicandæ *Nostri* famæ peraptum fuerit. *Andreas FABRICIUS Leodicensis Ebuero* librum ediderat de Harmonia Confessionis Augustanæ; in quo *Cæsarem Maximilianum II. adhortabatur, ut gladium, quo tanquam potentissimus accinctus regnet, contra prava dogmata stringat &c. Pessime hæc habuerunt Georgium MYLIUM. Quare in æde S. Crucis, in qua cathedram*

(*) *Ioannes SALLERUS Tuzingensis* Boius, exacto *Monachi* studiorum cursu, *Societati Iesu* sese mancipavit: in qua sacræ inprimis eloquentiæ laude claruit, post ROSEFFIUM *Augustæ*, dein etiam *Ratisbonæ* sacri Oratoris munere magno cum applausu, nec minore auditorum fructu perfunctus. Obiit anno 1630. *Monachii*. Edidit *Augustæ* sermone patrio 10. *Epistolam encyclicam*, qua Catholicorum in corporum diverberatione pietatem collaudat. 20. *Lutherum exulem*, in quo ostendit, quam procul à prima suæ Fidei Formula *Carolo V.* anno 1530. oblata *Lutherani* recesserint. 30. *Controversas de Eucharistia Quæstiones*. Omnia magno eruditorum applausu excepta commendarunt Auctorem. V. *Historiam Societ. Iesu, German. super. T. II. III. IV.* Quædam reliquit inædita, de quibus consulendus ALLEGAMBUS.

ram tenebat; suggestu conscenso, cum absentem FABRICIUM, qui à Bojorum Principe inter Consiliarios adlectus fuerat, mordere non auderet, in Societatem, quam FABRICIO caram esse haud ignorabat, vehementer invehitur: Iesuitas auctores libri proclamant, truculentos homines esse et sanguinarios &c. &c. Hoc ut intellexit ROSEFFIUS, neutiquam in urbe Lutheri affectis plena dissimulandum est ratus, unde simpliciorum, aut multitudinis odia asperari magis, incendi-que possent. Conqueritur primum apud illos, qui corrigere MYLIUM ex officio, monereque et debebant et poterant. Cum negligi querelas et causam deseri videret, munus suum esse putavit, matris famam ratione quavis licita defendere. Quapropter et ipse in suggestum pro munere suo progressus, edocta plebe, quam malevole nuper MYLIUS Societatem tum ob alia, tum ob FABRICII librum conviciatus esset, nominatim ac publice Georgio ipsi notam calumniatoris impingit, reumque mendacii pronuntiat; dum, quod falso effutierat, verum esse ostenderet. Oratoris protestatio cum tota urbe vulgaretur, celeriter MYLII tribulibus innotuit. Hi, ne ex viri consortio contagionem infamiae et ipsi contraherent, denuntiant Collegæ, si reatu falsimoniarum adhuc notatus auderet conscendere pulpitem, se quidem in illud non ultra prodituros. . . . At reposcitur MYLIUS à populo in cathedram; intellecto, quid symmystæ minitati essent, ad Senatum curritur; ut MYLII fama restituatur in integrum, tumultuose expetitur. Suscipit Curia causam, duosque ad Andream RHEMIUM (e) Ecclesiae cathedralis Decanum ablegat, petitem, ut palinodia imperetur ROSEFFIO conviciatori. Hic locuturum se reponit cum Gregorio, visurumque, an et quantum

hæc

(e) Est in-Wolfgang. Andr. REHM à me in *Alphabeta IV. Bibliotheca Augustana* laudatus.

hæc ad se causa pertineat : nunc quidem persuasum sibi, nihil ab homine, sobrietatis et pacis publicæ perquam studioso, temere dictum esse. Nec mora, accersit ROSEFFIUM, et quid adversus ipsum querelæ sit, amice indicat. Ostendit contra ROSEFFIUS, quam falso universæ Societati crudelitatis nota impacta publice : quam frustra, ut famæ integritas resarciretur, eorum, ad quos res pertinebat, petitum fuerit auxilium : hinc se, ut filium non degenerem decet, Matris excusationi consulturum, tamdiu mendacem habendum esse MYLIUM proclamasse, quamdiu, quæ publice effutierat, vera esse idem haud probaturus foret. Satis fuit RHEMIO statum rei, ut erat, intellexisse. Internuntium protinus ad Curiam mittit, qui indicet : nihil esse in ROSEFFIO monitione opus : Societatis a calumnia vindicandæ modum, frustra speratum, usurpasse illum jure Gentium. Agnovere Patres, nihil ulterius à Catholicis expeti posse. Ut MYLII tamen . . . vocem in suggestum restituerent, primum quidem Collegas eidem suos reconciliarunt, subin Decretum ediderunt, quo, postquam declaraverant, ROSEFFII dicta adeo injuriosa à se non haberi, ut MYLII auctoritatem, nomenque læsum existiment, vetuerunt simul, ne quisquam MYLIO contrariam inde infamiam objectare ausit, ea tamen spe, fore, ut MYLIUS fidem suam præstet, ac orationem posthac ad fructum auditorum, studiumque pacis sanctè prudenterque accommodet. At MYLIUS quidem, cum fidem liberare non posset, silentio rem totam interea dissimulavit (f).

Et

(f) Fufius hæc ex *Historia Soc. Iesu Germaniæ superioris*, T. I. p. 169. proponere placuit, ut ROSEFFII fama vindicetur, quæ ex verbis, quibus rem istam narravit Paulus à STETTEN senior in *Chronica Augustana* T. I. p. 642. haud parum detrimenti patitur.

Et hæc quidem cum MYLIO controversia *Nostro* anno 1576. fuit: altera deinde eidem cum alio Præcone acatholico anno 1593. enata; qui ex supremi *Augustanæ* Ecclesiæ Pastoris *Ioannis Othonis de GEMMINGEN* (g) ternam Comprecationem (in debitam gratiarum actionem, quod Deus pestiferæ contagionis, quintum jam mensem *Augustanam* urbem viciniamque depopulatæ, flagellum seposuisset) imperantis Decreto occasionem plane intempestivam Catholicos impugnandi arripuerat. Contra hunc quoque in aciem sibi descendendum ratus ROSEFFIUS, ita eius dicta, adversus episcopale *Decretum* publice e suggestu prolata, argumentis in contrarium allatis contudit, ut ipsi Protestantes, nullam vocem contra Episcopi sanctionem excidisse, optârint. Sed de his satis. —

Quanta ROSEFFII nostri in civitate existimatio fuerit, & auctoritas quanta, vel inde colligere pronum est; quòd, quidquid ille pietatis Religionisque causâ moliendum suscepit, facili negotio, eventu certe exoptato perfecit. Atque ut huius generis exempla afferam; ROSEFFIUS religiosam disciplinam, quæ in *Augustano* Monialium cœnobio quodam penitus collapsa fuerat, suis hortationibus & consiliis feliciter restituit. ROSEFFIUS Patritiorum Virorum, e stirpe antiquissima, tanto in fratrem, officiis antea gestis & auctoritate conspicuum, odio accensos animos, ut carcerem quoque & vincula procurarint misero, piis monitis compescuit: et detestabiles, quas clarissimi ex *Augustana* Nobilitate homines, imo ipse serenissimus *Bosiorum* Dux *Guilielmus* componere irritò conatù tentârant, iras post duorum mensium laborem de medio

(g) GEMMINGII laudes præcis commemoravi in sæpius memorato *Alphabeto IV. Bibliotheca Augustana.*

dio communi omnium proborum gratulatione fau-
 riter sustulit. ROSEFFIUS, cum unam duntaxat
 Catholici scholam trivalem haberent, cogerentur-
 que Liberos suos ludimagistris acatholicis in discipli-
 nam tradere, effecit, ut scholæ tres; totidem præ-
 ceptoribus orthodoxis instructæ, aperirentur. Sum-
 ma autem gestorum eius *Augustæ* (paucis) ea fuit,
 quod rei catholicæ columen, post CANISIUM, so-
 lidissimum sese præbuerit. Quippe sic illam con-
 filio, dictione, opera sustentabat, ut constans fue-
 rit plurimorum sensus, Optimatum præsertim Prin-
 cipumque civitatis confirmatus iudicio: Absque
 ROSEFFIO fuisset, Religionem catholicam in hoc
 nobilissimo Romani Imperii municipio nulla plane,
 vel exigua parte fuisse staturam; certe ad eas o-
 pes viresque, quas admirari post ROSEFFII concio-
 nes licuit, haudquaquam evasuram fuisse. Quam
 in sententiam *Marcum VELSERUM*, Duumvirum
Augustanum, doctrina scriptisque clarissimum, eum-
 que GRETSERO, PONTANO, RADERO *Societatis* Scri-
 ptoribus ob communia studia perfamiliarum (h),
 quem etiam ut oraculum Viri principes, Regesque
 consultabant, paulo antequam e vivis migraret, in
 litteris ad RADERUM datis illud Apostoli usurpa-
 risse comperimus: *Canisius plantavit, Roseffius ri-*
gavit, Deus incrementum dedit.

Iam vero *Societatis*, *Provinciae*que per *Ger-*
maniam superiorem tum nascentium res ROSEFFIUS,
 qua pollebat facultate agendi atque auctoritate,
 mirifice amplificavit. Ipse domicilium *Societatis* ple-
 nisque (prima quidem tria si excipias) ab initio
 constituendis interfuit. Ipse *Augustani Collegii* æ-
 des,

(h) De VELSERO fuse egi in *Alphabeto II.* huius *Bib-*
liothecæ. De PONTANO & RADERO in præsentis *Alphab-*
ethæ V. suis locis mentio facta.

des, templumque suo maxime studio, cura, operaque, superatis feliciter omnibus difficultatibus, anno 1581. adjutus maxime *Georg. ILLSUNGII*, itemque *Georgii, Marci, & Ioannis FUGGERORUM* patrocinio excitavit: eiusdemque Collegii rem ac oeconomiam ut stabiliret, pecuniis, a *Christophoro FUGGERO* donatis, pagum *Kyffingam* anno 1602. emit: emptumque à *Bavariæ Ducibus*, impetratis *Monachii* magnis privilegiis, muniri curavit (*). Ipse anno 1581. e Romanis *Societatis* Comitibus rediit, *sexto Calend. Iulii* Gymnasii quoque structuram inchoavit. Ipse potissimum effecit, *Constantiæ* ut *Societas* Collegium haberet. Ipse *Landspbergenfi* domui ædificandæ dotandæque subsidia ingentia contulit. Ipse alias *Provinciæ* sedes passim stabilivit, consiliisque & industria plurimum juit. Ipse a præcipuis Patribus, qui *Augustam* anno 1587. convenerant, delectus est, ut omnium nomine ad procuranda *Provinciæ* negotia *Romam* tenderet: quod ipsum à *Nostro* quatuor aliis vicibus præstitum fuisse, itemque eum *Congregationi VI. generali* interfuisse, lego.

Et sane, postquam *Augustaniæ* familiæ quatuordecim annos ipfos, antequam ad *Collegii* statum emergeret, Moderator; *primusque* deinceps *Rektor* ad octavum usque annum præfuerat, sæculari demum anno 1600. ipsis totius *Provinciæ* gubernaculis admotus, providentissime ubique omnia sollertissimeque per annos octo administravit. Sic severiorum studiorum curriculum egressis junioribus *Societatis* sacerdotibus domicilium proprium attribuit *Ebersbergam* haud ignobile *Bavariæ* oppidum, ubi *tertiæ probationis* annum ex more *Societatis*

(*) De hoc vide *Histor. S. I. Provinciæ Germ. super. P. III. p. 152.*

Satis sub unius Magistri disciplina atque institutione (quod fieri ante id tempus, ut in *Provincia* initiis, minime licuerat) communiter omnes exigent. Sic salubriter ipse instituit, ut non latina tantum, quæ super mensam fieret, utilium librorum lectio esset; sed vernaculo etiam sermone quædam in Fratrum linguæ latinæ ignarorum gratiam recitarentur. Sic, bonarum artium et doctrinarum haudquaquam negligens, ut *Socii* litteras probe excolerent, sedulo curavit. Postremo omnis *Gregorii* administratio (seu domum regeret *Augustæ*, seu *Provincia* totius moderaretur habenas, præcipuis religiosi Præsidis virtutibus effulsit. Gravitate personæ ac muneris, benignitate: auctoritatem, comitate: prudentiam, candore atque integritate: officii curam sedulitatemque, pio precandi sibi que haud segnus quam subjectis invigilandi studio temperare quam aptissime noverat. Magnus illi fuit, erectusque in rebus arduis animus: cæptorum tenax ac constans: ubi gloria divini Numinis, vel causa Ecclesiæ agebatur, promptus, ardens, intrepidus. Gerendarum autem rerum consiliis & sapientia excellebat inprimis: eaque circumspicione et cautela negotia quæque agebat, ut omni facile invidia periculoque superior, quamvis odia adversariorum vitare non posset, iniquas tamen machinationes eluderet, teste *Historia Societatis Iesu Germaniæ superioris*, T. I. p. 312. Ego his missis ad propositum argumentum revertor.

Subreperat inter labores apostolicos, inter domesticas curas ac difficultates ROSEFFIO senectus: vires animi corporisque decesserant. Hanc ob rem anno 1609. munus regendæ *Provincia*, quod per novennium præclare gesserat, in humeros *Theodori BUSÆI* è *Rhenana* *Provincia* ad lustrandam *Germaniæ* *Bibl. August. Alph. V.* N *manicæ*

mania superioris Provinciam missi, transtulit, præmissa parænesi gratulatus sibi, quod hunc ipsum, quem *quingagesimum* in Societate vixisset annum, jubilæum haberet, quod missionem adeptus in sancta quiete liberum à curis senium agere posset. Sic à publicis curis ad pietatis religionisque privata studia totum se *Augustæ* contulit, & divinis rebus commeditandis, animoque ad piam mortem comparando penitus addixit. Fastidia senectutis & dolores, quibus ex affecto corpore cruciabatur maximis, mira fortitudine toleravit, unum illud, si vocem acerbitas exprimeret, pie (i) ingeminans: *Da, Domine! patientiam & auge dolorem.* Denique (ut brevis sum) anno 1623. quem vitæ annum 85. numerabat, Idibus Maii placidissima morte quievit. Sepulturam eum in Sacello *S. Lamberti*, quod episcopali palatio contiguum TRUCHSESIUS Cardinalis *Canisio* Sociisque, primùm urbem ingressis, olim attribuerat, nactum esse, nonnemo adnotavit: idemque erat locus, ubi quatuor vota *Societatis* solennia tertio abhinc & quingagesimo anno, *P. Paulo* НОҒÆО suscipiente, nuncupârat.

Expendimus ROSEFFII merita *apostolica*: expendimus merita *domestica*; expendamus modo merita *litteraria*. Etsi *Noster* omnes cogitationes ac vires suas, vitæque tempus omne sacris occupationibus, animarum salutis, utilitatique Ecclesiæ sanctæ devovisse videri queat; tamen & de Republica litterata, quantum per vitæ rationes licuit, bene mereri neutiquam intermisit. In hanc rem de illo *Julius* CORDARA testatum reliquit: *Nemo eum vidit aliquando otiosum. Quod a rebus gerendis supererat temporis, aut contemplationi rerum cælestium aut piis*

(i) Pietatis *Nostri* exempla plura affert *Historia Societatis Jesu*, P. III. IV.

piis scribendis libris impendit, quorum nonnullos edidit alieno nomine adversus libellos Lucæ OSIANDRI, præter alia quædam opuscula, Doctorum judicio valde laudata. Neque solum litteras ipse coluit, sed ut illæ ab aliis quoque colerentur, satagit: Hinc in Provincialatûs munere constitutus, inter ceteras curas hæud postremum locum politionum cultui litterarum dedit: quarum in hominibus Societatis præcipua quadam industria excitavit studium, provexitque; cuius rei testem Historiam S. I. Provinciæ German. super. T. IV. habemus: exempla autem (ut alios taceam) luculentissima in PONTANO & RADERO supra memoratis.

Sed jam ipsa *Nostri* tum edita tum inedita scripta enumeratum pergo. Vulgaverat Lucas OSIANDER Præco Tubingensis librum in Societatem Iesu maledicentissimum hoc titulo: *Warnung vor der Iesuiten blutdürstigen Anschlägen und bösen Praxiquen*. Scilicet usit Virum triste MYLII fatum, et ignominiosa ex urbe *Augusta*, ob commotos varios tumultus, anno 1584. ejectio. Quare magna amississimi Exulis miseratione tactus, contra vero Iesuitis iratior, hos exilii huius auctores unicos, viros sanguinarios &c. esse clamabat. Sed contra, pro vindicanda Societatis fama, Superiorum jussu *Noster* anno 1585. & sequentibus, quatuor Libellos germanice scripsit, emisitque in lucem, sub nomine Christophori ROSENBUSCH, latine (ut Allegambius habet) ROSETI, quibus criminationes & convicia, quæ OSIANDER in suum Opus acervatim ingesserat, disertissime confutavit. Sunt isti:

I. *Antwort und Ehren - Rettung auf die ehrenrührig, im Rechten und Römischen Reich verbottene Schmach - Schrift Lucæ OSIANDRI, die er intitultirt:*

Warnung vor der Iesuiten &c. &c. in 4^o. *Ingolstadt*. 1586. V. ALLEGAMBE.

II. *Wohlgegründete erneuerte Antwort und Ehrenrettung auf Lucæ Osiandri Warnung vor der Iesuiten &c. &c. in 4^o. Ingolstadt. 1586. V. LIPENII Biblioth. theolog. T. II. p. 79. Est idem Opus cum antecedenti, sed hinc inde recognitum et auctum: quandoquidem divenditis citissime primæ editionis exemplaribus id Typographus à Nostro flagitârat.*

III. *Christophori Rosenbuschs Replica auf des Calumnianten Lucæ Osiandri Verantwortung wider die Iesuiten. in 4^{to}. 1586. V. ALLEGAMBE.*

IV. *Christoph. Rosenbuschs Declaration der unächtigen unwahrhaften Abfertigung Lucæ Osiandri Prædicanten. in 4^{to}. Ingolstadt. 1588.*

V. *Apologia pro Societate Iesu contra Osiandrum.* Hanc ALLEGAMBE Nostro attribuit, mihi autem nullibi visa est. SOTVELLUS in *Bibliotheca* monet, hanc *Ingolstadii* anno 1588. excusam fuisse; ea res mihi persuadet, istam *Apologiam* unum eundemque librum cum præcedente esse: quem ipsum Typographus in *Admonitione* prævia *Apologiam* vocare non dubitavit.

VI. *Iter Legatorum Iaponicorum ad Gregorium XIII. & Epistolæ aliæ ex Iaponia.* Hæc lingua vernaculâ vulgasse Nostrom suppresso suo nomine, tradit sæpius laudatus ALLEGAMBIUS & SOTVELLUS. Titulus sic sonat: *Zeitung, welcher Gestalt im Martio dieses fünf- und achtzigsten Iars etlich König und Fürsten aus Iaponia ihre Abgesandten, des Glaubens halben, gen Rom geschickt haben &c. &c. in 4^{to}. 1585. Meminit huius Scripti Vincentius PLACCIUS in Theatro Anonymor. No. 1842. addens, se huius Legationis Historiam italice scriptam in 3^o. legisse: num autem Versio græ-*
mani-

anica ex italica editione illa facta sit, nec ALLEGAMBIUM nec SOTVELLUM indicare. Ex Præfatione autem patet, Versionem vernaculam ex latino factam esse. De veritate huius Legationis subiungit idem PLACCIUS: *Pseudolegatos illos fuisse, & multis scriptum, & in Historia P. de la CHAISE, P. I. quomodo fraus ista & illusio Pontifici facta, per ipsum fuerit reconciliata, prolixè refertur. Sed eam historiam parum fide dignam faciunt multa, & mihi vel maxime D. LEIBNIZII prolixa in eam Invektiva, in Actis Erudit. Lipsiens. Legationem istam, & veram, referunt Andr. VICTORELLUS apud CIACONIUM in Vitis Pontif. T. IV. p. II. Natal. ALEXANDER in Hist. eccles. Sæculo XVI. Claudius LEURYUS in Hist. eccles. ad annum 1585. quibus fides minime deneganda est.*

Hæc de editis ROSEFFII Scriptis sufficiant. De cæditis ait ALLEGAMBIUS: *Affervatur integra penes Bibliotheca voluminum, quæ ille suo ingenio elucubravit, sua manu scripsit. Sed hæc maxima ex parte temporum cursu interciderunt. Interim à vero audit absonum esse, quod ALLEGAMBIUS testatur, comprobant plures Lucubrationes Germanicæ, in Bibliothecis à me repertæ; quarum e numero sunt:*

VII. *Concio ad pios Peregrinatores e monte Anacensis reduces, in S. Afræ in Campo Lycio habitaveratur in Bibliotheca Collegii quondam Societ. Iesu.*

VIII. *Vita et Mors D. Julianæ Christophoræ Zemboldin, ex Patritia Velservorum stirpe prognatæ, una cum Epistola ad superstites Liberos eiusdem. Exat in eadem Bibliotheca.*

IX. *Conciones XVIII. quadragesimales de Peccati natura, effectibus, fuga, anno 1583. habitæ. Vidi in Bibliotheca FF. Prædicatorum, Augustæ.*



X. *Conciones X. Adventuales*, in templo *S. Joannis*, *Augustæ*, habitæ. in 4^{to}.

XI. *Conciones IX. in Psalmum*: De profundis, *ibidem*, annò 1596. dictæ. in 4^{to}.

XII. *Conciones VIII. de SS. Sacramento altaris per Octavam Corporis Christi* habitæ in 4^{to}. *Nota Lector!* Aut hæ, aut aliæ *Conciones de eadem materia* annò 1580. in *Ecclesia cathedrali* habitæ servantur in *Bibliotheca Eichstettensi PP. Prædicatorum*.

XIII. *Concio de S. Cruce*, in templo *S. Crucis*, *Augustæ*, habitæ. in 4^{to}.

XIV. *Concio funebris in honorem Danielis Archiepiscopi & Electoris Moguntini*, in exequiis eisdem solennibus, *Augustæ* in summa æde anno 1582. die 15. Maii celebratis, dicta.

Conciones indicatæ No. IX - XIV. debentur omnes solertiz Bartholomæi WAGNERI, qui eas, ab ore dicentis ROSEFFII exceptas, in scriptum redegit. Reperiuntur autem, à No. X - XIV. in *Bibliotheca celeberrimi monasterii SS. Udalrici & Afre, Augustæ*.

Hactenus de ROSEFFIO — Quoniam vero in ista *Narratione* mentio *Bartholomæi WAGNERI*, itemque *Georgii MYLII* injecta fuit, a proposito haud alienum arbitror, quædam de duobus istis Viris, per modum *Mantissæ*, subnectere.

I.

Bartholomæus WAGNERUS (a) *Civis Augustanus*, vel etiam unò verbò, *Augustanus* (uti se vocat in titulis librorum suorum) postquam *Præceptorem* in *Ursper-*

(a) Memorat *Christ. Gottl. IOEGER* (nikus auctoritate *Io. Sam. HEINE* in Libro: *Bejchreibung von Rochliz*) quendam *Bartholomæum WAGNERUM*, Magistrum *Philosophiæ & Archi-Diaconum extraordinarium Pen-*
cil

Urspergensis Ordinis *Præmonstratensis* cænobio egerat, *Augustæ Hypodidascalus* in Schola ad *S. Martinum*, demum *Chori - Vicarius* in cathedrali Ecclesia factus est. Vir gloriæ divinæ & salutis animarum promovendæ studiò accensus non *Gregoriï* duntaxat ROSEFFII, sed etiam aliorum Concinatorum *Augustanorum* Conciones, ab ore dicentium exceptas, partim in scriptum redactas per Bibliothecas *Augustanas* reliquit; partim typis exarari iussas vulgavit in publicum. Insuper suò ingenio quamplurima composuit emitque in lucem, *Homiletica*, *Meditationes*, *Ascetica*, quæ in *Adversariis meis* accuratè ab anno 1584. in annum 1627. ordine suo indicata servo, numero facile quadraginta: hòc autem loco fusius exponere brevitas causa supersedeo: tum etiam ne quorundam Criticorum, quæ sacri sunt argumenti, parvipendentium censuras in me provocem.

N 4

II.

cii (*Penick*) urbe *Misnia*, qui anno 1561. quod *Corpus doctrinæ Melanctonis* acceptare nollet, iussu Electoris *Augusti* de munere suo amotus et e terris *Saxonicis* proscriptus fuit. Tribuit eidem IOECHERUS *scripta polemica adversus Ioannem SCIURUM: Conciones de Apostolis in totum annum*; ex isto posteriori Opere conjectans: eum ad *Romana* sacra transivisse. Sed *Conciones* memoratæ certissimè *Nostri* sunt, cum in titulo earundem a me viso se aperte *Augustanum* vocet. Attamen non ausim ex his duobus *Wagneris* unum eundemque facere: tum quod *Noster* in nulla suarum *Lucubrationum* ejectionis è *Saxonia* & transitus ad avitam Religionem vel verbulo mentionem faciat; tum quod si quis id pertendat, admittere debeat: *Nostrium* fere usque in annum centesimum vitam protraxisse, et vel illa decrepita ætate ingenio libris componendis parè fuisse; quod mihi haud credibile videtur. Habeat ergo *Bartholomæus WAGNERUS*, IOECHERO memoratus, sua sibi *Scripta adversus SCIURUM: Noster* suas itidem sibi *Conciones de Apostolis*.



II.

Georgius MYLIUS, vero nomine *Miller*, fabri lignarii filius, *Augustæ* in lucem anno 1548. editus est: Vir eruditus, *græce* (a) impense doctus, sed turbulentissimi ingenii homo. Positò in patria politiorum litterarum tyrociniò, in exteris scholas anno 1566. pergens, *Argentinas*, *Tubingam* (b), *Marpurgum* adjutus stipendiis, quæ indeptus fuerat, inuisit. In istis locis cum plurium annorum spatio *philosophicis* & *theologicis* studiis vacavisset, & *Magisterii* honorem consecutus esset, anno 1572. *Marpurgò* in patriam revocatus inter *Ministros Verbi* in æde *S. Crucis*, deinde & *S. Annæ* locum tenuit. Sic exacto ferme octennio Pastor ad *S. Annæ* anno 1579. renunciatus, eodemque anno, denuo *Tubingam* abiens, ditioribus quibusdã civibus impensas suppeditantibus abs *Iacobo HEEBRANDO* Doctoratûs theologiçi insignibus 10. Calend. Decembr. exornatus est. Inde *Augustam* repetens, elapsis octo mensibus, *Superintendens Ministerii generalis*, *Rectorque Collegii evangelici*, ex collectis per opulentiores familias & civium domos pecuniis à se conditi, institui commeruit. Verùm cum vehementis, nec pacis servandæ satis studiosi ingenii esset, haud diu ei *Augustæ* degere licuit. Nam quòd tam Senatui acatholico jus *vocandi* & *nominandi* *Ministros* abjudicare ausus esset: tum & cæsareis & senatoriis Mandatis, de recipiendo *Calendario*

(a) Ita testatur *Nicodemus FRISCLINUS* in *Problemate Nostro*, *Doctoratus* obtinendi gratiã recitato. *Ibidem Noster* à *latinae*, *græcæ* & *hebraicæ* linguarum peritiã, ab accuratiori *Philosophicarum* aliarumque disciplinarum cognitione prædicatur.

(b) Inter *Tubingensis* *Academici* inscriptos cum invenio ad annum 1567. apud *CRUSIUM Annal. Suev. Dedi. III. p. 729.*

dario Gregoriano, acquiescere renueret, anno 1584. die 4. Junii ex urbe proscriptus est: quam tamen, à populo *Nostri* studiosissimo per gravissimum tumultum, pessimamque seditionem, quando eum *Prætor* educere e civitate parabat, è rheda extractus, primum postero: i. e. 5. Junii die, ipse, mutato habitu clam purgavit. Fugæ adjutricem habuit Viduam *Georgii à STETTEN*, quæ illum in arcem filio subditam, *Boxberg*, transtulit, inde *Lavingam*, mox etiam *Ulmam* secedentem: ubi præcipuos patronos *Danielem SCHADIUM seniore*, *Præto*rem urbis, & *Io. Rudolphum EHINGERUM*, *Rei publicæ Advocatum*, expertus est.

MYLIUM, patria extorrem, *Argentineses* sibi, sibi *Brunsvicenses* petierant; sed suum esse voluit *Electo*r Saxonix *Augustus*, qui eundem anno 1585. mense Junio *Academix Wittebergensis* *Professore*m, *Cancellarium*, & *Præpositam* templi *Arcis* creavit. Mortuo *Augusto* succedens, *Christianus I. Librum Concordiæ*, tanquam *seminarium discordiæ* proscripterat: cuius placitis morem gerere cum recusaret *MYLIUS*, *Cancellarii* munere & sexcentis florenis, de annuo stipendio, privatus est.

Expetitus postea a *Vinariensibus* & *Coburgensibus* Ducibus relicta *Witteberga*, *Ienam* anno 1589. die 12. Februarii migrans, ibi primum inter *Theologos* locum, & postremò bienniò etiam *Pastoris* ac *Superintendentis* munus occupavit. Per ea tempora exteræ Civitates ac Respublicæ, *Rigenfis*, *Regiomontana*, *Brunvicensis*: Comitum item non pauci, *Solmensis* cum primis & *Schwarzenburgicus*, ipsi adeo *Principes Coburgenses Nostri* opera certatim usi sunt. Hæc inter fatis supremis functo *Christiano I. Electoratus Saxonici* administrationem subit *Fridericus Wilhelmus*, à quo *Noster* una cum



aliis vocatus in *Wittenbergensi* Ecclesia à *Crypto-Calvinismo* purganda menses quinque, octo dein alios in *Visitatione Misnica* insumplit: cumque *Huberus* quidam in *Academia Wittebergensi* novas diffidii flammas annis superioribus excitasset, ad eas restinguendas MYLII opera commodissima visa est. Hisce rebus factum denique, ut, *Ægidio HUNNIO* diem suum obeunte, *Noster* abs *Christiano II.* Electore *Wittebergam* postliminio revocatus, ibi *Superintendentis* dignitatem anno 1603. mense Octobri receperit: quâ etiam usque in annum 1607. mensemque Maium, quem fatalem habuit, perfunctus est.

Mortuo laudes dixere *Leonardus HUTTERUS*, & *BALDUINUS*. Quidam *Marcus PRASINIPPEUS* (Interpretor: *GRUNREUTTER*) *Centonem Virgilianum in eius obitum*, 1608. 4^o. edidit. Vitam eius fusius dedere *Melchior ADAMI* in *Vitis Theologorum*, p. 360. *FREHERUS* in *Theatro Erudit.* p. 343. ubi etiam *Nostri Epitaphium* exhibet. His jungi poterunt *Leonard. HUTTERUS* in *Orat. de Mylio adversus Ge. Pomerium Iesuitam.* *Io. Georg NEUMANNUS* in *Orat. de Rebus gestis Ge. MYLII.* *DEUTSCHMANNUS* in *Pyramide Wittebergensi.* *ZEUMERUS* in *Vitis Professorum Ienenfium.* *ARNOLDUS* in Libro: *Kirchen-und Ketzzer Historie.* *WITTE* in *Diario.* *TRINIUS* in Libro: *Geschichte der Gottesgelehrten*, T. I. p. 425. 426. Liber vernacule scriptus: *Augspurgisches Ministerium.* in 4^{to}. c. fig. Liber: *Unschuldige Nachrichten*, T. 27. 30. 37.

De turbis à *Nostro Augustæ* excitatis verè edoceri quisquis cupit, adeat *Paulum ÆSTETTEN seniore* in *Historie der Stadt Augspurg*, T. I. p. 665. & seqq. item *Historiam Soc. Iesu Provinc. German. superior.* P. I. p. 169. & seqq. p. 270. & seqq. De turbulento *Nostri* ingenio Auctor *Musæi Mazzuchelliani*, exhibens

bens Numisma, quod ex una parte MYLIUM cum Epigraphe: *M. Georgius Mylius a. æ. 51.* ex altera *Bartholomæum Rosinum* cum Epigraphe: *M. Bartholomæus Rosinus a. æ. 58.* refert, subdit: *Fu' egli (Rosinus) per aventura Maestro del Milio, che da esso, oltre la dottrina, lo spirito ereditò di sedizione altresì: per loche io sono d' aviso, che quivi fossero insieme collocati.* De eadem re testimonium perhibent *Aulæ Bavarica & Cæsarea*, à quibus *Noster, fax et auctor turbatæ Reipublicæ Augustanæ,* vocatus est. Testatur item *Decretum Senatûs Augustani*, quo *Noster* proscriptus est, his ferme verbis conceptum: *In ea quidem spe Senatûm Augustanum fuisse, fore, ut Müllerus, utpote ante annos ad Superintendentis munus vocatus, et locupletiori præ suis decessoribus pensione ornatus, tantorum beneficiorum memor esset, studeretque imprimis paci ac tranquillitati in Republica conservandis. Verùm Senatûm hunc ipsum comperisse, eum longe alia facere; Senatûs auctoritatem apud auditores suos elevare; apud cives suspectos reddere Primates; non solum non coarguisse cives Senatui insultantes, sed eos etiam magis incitasse; impudenter in Epistola ad Coloniensem civitatem directa pronuntiasse, penes cives esse jus constituendi et abrogandi Senatûm; Collegis suis auctorem fuisse, ut Calendarium novum non reciperent, et nuperrime cohortatum fuisse, ut contra Senatûs - Consultum diem Ascensionis, ad normam veteris Calendarii celebrandum, denuntiarent: quibus rebus omnibus cum animum suum erga Senatûm alienissimum prodidisset, statim e civitate migrandum sibi sciat &c.* Testatur item *Io. Ulr. RUMLERUS (c)*
syn-

(c) V. Car. STENGELIUM in *Comment. Rev. August.*
p. 315. qui perapposite in hanc rem sequentia scripsit
l. c.



synchronus, scribens: *Superintendentem habemus suuiloquum, Theologiae Doctorem, in quem omnium (symmistarum) confidunt oculi: ad cuius quoque nutum & aiunt & negant, tantum ut offam seruent. Is omnium harum turbarum auctor est; at vindicem olim experietur eum, qui supra nos est. Hæc de turbis à Nostro Augustæ concitatis. Iam de Scriptis eiusdem.*

Edidit *Noster* quamplurima, maximam partem theologica, polemica, exegetica, homiletica, quæ ADAMI, & FREHERUS ll. cc. enumerant; sed his addi debent WOLFII *Supellex Epistolaris. Catalogus Bibliothecæ Spizelianæ, pag. ultima n^o. 202.* ubi eius anecdota memorantur. HENDREICH *Pandectæ Brandenburg. p. 331. Christ. Gottl. JOECHER in Gelehrten - Lexicon. Catalogus Biblioth. Bunavian. CLESSII Elenchus consummatissimus Libror. unius sæculi. LIPENIUS in Bibliotheca philosophica & theologica, etfi cautius adhibendis, quod minus accuratæ sint. Iudicia Virorum doctorum de aliquibus Nostri scriptis habes in Io. Christoph. WENDLERI Dissert. II. de Merit. Reip. August. &c. p. 25.*

Præ aliis MYLII Scriptis observatu illud dignum est, quod de turbis in urbe *Augusta* vulgavit hoc titulo: *Augsburgische Hündel, so sich daselbst wegen der Religion, und sonderlich jüngst vor 2. Jahren im währenden Calenderstreit mit Georg Millern &c. zugetragen. in 4^{to}. Witteberg. 1586.* Huic calumnioso Scripto *Apologiam Senatus Augustanus*

l. c. p. 314. Eodem anno (1582) *Gregorius XIII. P. M. anni tropici quantitatem . . . correxit. . . Hunc modum et rationem anni Itali, Hispani, Galli, Poloni aliaque nationes catholicæ mox gratanter receperunt. At Calviniani Germanique Protestantes id facere noluerunt: non tam quod ratio iusta non esset, sed quod à Romano Pontifice proficeretur.*

annus per *Georgium TRADELIUM* (d) IC^{tum} opposuit, e qua videri poterit *Paulus & STETTEN senior l. c. ag. 697.* Sed & hanc novo ausu novoque scripto onvellere molitus est MYLIUS, quod tamen foras aud prodiit, sed inter *Acta Academiae Witteberensis* servatur.

(d) Hunc debitis laudibus prædicavi in *Alphabeto III. bibliothecaæ mezæ.*

SELDIUS (*Georg. Sigismundus*)

Georgius Sigismundus SELDIUS insigne urbis patriæ decus existit, eo majori laude dignus; quod tenuibus initiis ad summa evasit, miram nominis claritatem non natalium splendore, aut divitiarum copia opitulante, sed suis duntaxat meritis, industria atque eruditione adminiculante consecutus.

Natus is est *Augustæ* die vicesima prima *Januarii* (a) e celebri familia, patre *Georgio*, aurifice (b), non argentariæ solum artis, sed etiam Geometriæ et Mathematicarum disciplinarum peritissimo, tunc quadrigamo & sexagenario: matre vero *Prisca Schallerina*, honestissimæ familiæ fæmina, sed adhucdum ere puella, quæ post mariti obitum cuidam *Hegenmillero* secundis juncta nuptiis, *Ioannem HEGEMILLERUM*, aliter *Hagenmillerum* fratrem *Nostri* uerinum, orbi dedit, quem ad annum 1552. *Annales Academiae Ingolstadianæ*, T. I. p. 225, inter novos alumnos suos adnumerant: Is labentibus annis *Juris utriusque Doctor* renuntiatus, aliquamdiu

(a) De anno nativitatis SELDII variant Auctores. *PANFALEO*, *CRUSIUS*, *ADAMI* ponunt annum 1516. *SCHARDIUS* in *Scriptor. Rer. German. T. IV. p. 42.* & quibus hanc sequi placuit, annum 1521. statuunt.

(b) Ita monet *CRUSIUS* in *Annal. Suevic. Dod. III. p. 347.* Adde *Pauli & STETTEN Kunst - Gewerb - und Handwerks - Geschichte von Augspurg*, T. II. p. 14.

diu Iudicii *Camerae Imperialis Adfessor* fuit. Nuptias anno 1563. die 1. Maii cum *Catharina*, ex inclyta *Velferorum* familia, *Augustæ* teste *Mart. CRUSIO* in *Annal Suevic. Dod. III. p. 720.* celebravit. Fuit primùm *Bavaricus*, dein *Cæsareus* Confiliarius; denique à *Rudolpho II.* Imperatore ad *Cancellarii* dignitatem (c) evectus est. — Sed ad SELDIUM redeo —

Vixit eo ferme tempore *Augustæ* Vir eruditissimus *Ioannes PINICIANUS*, juventutis liberalium artium præceptis imbuendæ studiosissimus (d). Ab hoc celebri Grammatico institutus *Noster*, postquam *Raymundo FUGGERO*, incomparabili bonarum artium Mecænati, innotuit, una cum illius filiis in *Academiam Ingolstadiensem* (*) missus est: cuius *Annales* ad annum 1531. *Nostri* mentionem faciunt his verbis: *Inter Inscriptos erant . . . quartus, Georgius SELDIUS clarissimus postea Jurisconsultus, ac demum Imperatoris Ferdinandi Vice-Cancellarius.* Ibi annis non omnino duobus mansit; nam, quod plane præcocis ingenii esset, *Nicolao EVERHARDO* (e) celeberrimo in memorata *Universitate Juris Professori* mature ad *Legum* nobile studium adhibendus videbatur. Quare, cum laudati *Raymundi FUGGERI Liberos*, in *Italiam* pro optima-

TURA

(c) Confer PANTALEONEM, & ADAMI.

(d) Huius laudes perscripsi in *Alphabeto I.* præsentis *Bibliothecæ*, p. 139. seqq.

(*) PANTALEO ait: hoc anno ætatis *Nostri* forte undecimo factum esse. At si anno 1516. in lucem editus fuit, ut idem PANTALEO tradidit: & anno 1531. *Ingolstadtium* venit, de quo *Annalium Ingolstadiensis Academiæ* auctoritas dubitare nos vetat, *Noster* non undecim, sed quindecim annorum fuit.

(e) Multa in laudem huius doctissimi Viri congesta habes in *Annal. Acad. Ingolstad. T. I.*

um artium subsidiis parandis proficiscentes, rursus omitandi licentiam feliciter obtinuisset, ita in ea regione ad *Juris* studium inter reliqua (nam et *Historiæ* summo opere & *Mathematicis* & *Græcæ* linguæ, omnibusque ingenuis artibus et disciplinis nice addictus erat) incubuit, ut vir maximus, atque orbis et sæculi sui singulare columen quodam evaserit.

Igitur, postquam brevi tempore *Bononiæ Romum* AMUSÆUM audivit, in *Patavinum* veniens Gymnasium *Lazari BONAMICI* diu discipulus fuit; uti contra *Melch. ADAMUM*, rem plane inversim narantem, nos docet, in hoc omni fide dignus, *Nicolaus PAPADOPOLIUS*: qui ipse *Nostrum* jure meritissimo inter claros eius Gymnasii cives connumerans, justò (ut in *Viris* ex isto scientiarum emporio ad magnam nominis claritatem profectis afolet) encomiò mactare non intermisit in *Histor. Gymnas. Patav. T. II. L. I. c. XIX.*

Absoluto in *Italia* biennio, *Gallias* anno 1536. petiit, cum iisdem *FUGGERI* filiis litteris ulterius exornandus, ac *Biturigibus* tantundem temporis in studiis summa cum diligentia consumpsit. Iam tum *Noster*, ferri se maxime ad scientiam politicam laborésque pragmaticos, haud dubio prodidit indicio; lum annò 1537. *Dissertationem de Legatis* latino sermone conscripsit; quam *Viglio ZUICHEMO ab Aytta (f)* Viro et doctrinæ, & negotiorum publicorum, & dignitatum gestarum laudibus celebratissimo, mittens, hoc responsi accipere meruit:

Ita me affecit, Seldi ornatissime! tuus iste de Legatis Commentariolus, ut lectiõne eius satiari non poterim. I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fau-

(f) V. PAPPENDRECHT *Analekta Belgica T. II. P. I.*

sto, grandia laturus meritorum præmia. Nam quid aliud tibi, meum de ipso iudicium requirenti, potius respondeam? Cum præsens istud studiorum tuorum specimen ita mihi omnibus numeris placuerit, ut te etiam, quo similia multa in posterum elaborares, cohortandum duxerim: quando tu etiam istâ exactâ curâ ita hoc opus absolutum sit, ut quod in melius mutare vel corrigere possim, nihil abs te relictum invenerim. Quid igitur, Seldi ornatissime! cum me magno abs te beneficio affectum cognoscam, qui egregias istas studiorum tuorum primitias mihi impertiveris, quid, inquam, ista tua proepilexi opus erat? Inter istas sane molestas fori iudicii que occupationes, quo ipsarum fastidium levarem, obvenire mihi nihil gratius potuit. Gratulor vero Hageri (*) nostri manibus, qui, te tali superstite discipulo, feliciores mihi esse videntur. Nec scio, an te magis illo præceptore, an ille te discipulo, gaudere debuerit. Amicitia vero eius, qua mihi cum illo intercessit, non minimus fructus esse videtur tua erga me affectio: cui si vicissim unquam respondere poterò, senties, non te falsum omnino tua opinione, quam de me tibi fecisti. Cum vero jam instet id tempus, ut tibi ex scholis in forum propediem progrediendum sit, tu ipse cogita, si quid erit, in quo mea opera consiliumve tibi prodesse queat. FUGGERORUM vero interea erga te favorem quacunque occasione audirem facere non desino. Vale 21. Septembris. 1537.

Relicta Gallia Noster denuo in Italiam se contulit, ubi clarissimis Jureconsultis, quibus & Maria-

(*) HAGERUS fuit Juris consultus, & duorum FUGGERORUM (Georgii & Ioannis Jacobi) Præceptor, quo familiariter usus Viglius ZUICHEMUS, & ad quem prolixissimam dedit Epistolam super quadam Juris subtilitate. V. PAPPENDRECHT &c.

lanum SOCINUM adjunxit, evolvendis indefessam peram dedit : nec antequam alterum rursus bienium studiis consumpisset, doctorea laurea voluit ornari. Ornatus est autem illa in *Patavina Aca-*
emia (g).

Hac ratione factum, ut, cum excellenti ingenio præditus esset, patrium repetens solum prudentiam ætate maiorem, doctrinæ variae & admirabilis copiam, linguarum plurimarum, quibus etiam *Hispanicam* successu temporis inter *Hispanos* in aua eleganter addiderat, scientiam, omnis antiquitatis & *Historiarum* peritiam, denique excimicæ eloquentiæ facultatem, plurimæque virtutum ornamenta seum attulerit (h).

In *Germaniam* reversus nil prius habuit, quam ut theoriæ praxin adjungeret, partaque scientiarum præsidia per ipsam rerum experientiam magis excolens perpoliensque, sese hoc modo ad promovendas Reipublicæ utilitates aptiorem efficeret. Quare *Spiram* se contulit, summo studio, quæ in illo *Camercæ Imperialis* ludicio usitata ac necessaria essent, observaturus, & in illo augusto dicasterio *Causarum Patronum*, aut (si mavis) *Advocatum* acturus (i) PAPADOPOLIUS etiam *Iudicem Causarum* ibi agitatarum facit, cui succinit JOECHERN in *Gelahrten - Lexicon*; quibus an fidem adjungere debeam, nescio?

Inde, dignis ab *Antonio FUGGERO* (ut *Gentem* hanc illustrissimam, sibi jam diu propitiam, expertus fuerat) encomiis *Henrico* ex *Comitibus Palatinis Rheni*, Episcopo *Frisingensi* commendatus, statim

(g) PAPADOPOLI in *Histor. Gymnas. Patav. T. II.*

(h) SCHARDIUS & ADAMI II. cc.

(i) PANTALEO l. c.

Bibl. August. Alph. V. 0

tim in eius consilium adscitus est. Apud hunc cum magis magisque inclaresceret, reliquis *Bavariæ* Ducibus charus esse cœpit, & mox etiam a *Ludovico Bavariæ* Duce *Landshuti* Consiliarius est renunciatus; qui idem Princeps Cancellarii sui *Thomæ RUDOLPHI*, e celebri olim familia *Augustana* oriundi, filiam *Nostro* desponsavit (k); unde eius & facultates & existimatio incrementi multum accepit.

Cum autem meritorum *Nostri* fama latius indies latiusque diffunderetur, *Carolus V.* magnorum ingeniorum sollertissimus æstimator, Viri claritate commotus eum sibi & consiliis esse voluit. Unde SELDIUS, impetrata à *Bavariæ* Duce venia, Imperatoris servitiis anno 1546. sese mancipavit, eiusque gratiam tantam sibi conciliavit, ut ex illo tempore in omnibus Imperii negotiis, opera et consilio regundis, partem magnam habuerit. Ipse cum Cæsare fuit, quando is Saxoniam ingressus, fœderatorum Principum exercitu apud *Mühlbergam* profligato, adversus Electorem *Ioannem Fridericum*, quem captivum fecerat, mortis sententiam dixit. Ipse Cæsaris nomine peroravit, quando Landgravius *Hassiae Philippus* in captivitatem Cæsaris sese dedit. Tantam autem *Noster* tum in his, tum aliis negotiis dexteritatem fidemque ostendit, ut in gratiam *Caroli* sese altius altiusque insinuârit. Quare factum, ut *Ioanne NAVIO*, dum *Augustam* petit, indictis eò Comitiis interfuturus, repentina morte sub initia anni 1547. sublato, *Noster* in defuncti locum ad imperialis *Vice - Cancellarii* dignitatem ab Imperatore promoveretur: maximis Imperii

(k) Idem, & *Paul. à STETTEN junior* in Libro: *Lebensbeschreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend. T. II. p. 258.*

perii rebus postea præficiendus (*l.*). Hinc SELDIUS probe sentiens, munus sibi impositum (illis præfertim bellorum, discordiarum & tumultuum plenis temporibus) immensæ molis esse, duos laborum socios sibi & petiit & obtinuit abs Cæsare, videlicet *Ioannem MARQUARTUM & Henricum HASIUM* Doctores.

In ista autem functione SELDIUS *Germaniæ* proceribus, plerisque Imperii Principibus atque maximis christiani orbis Regibus, ob summam animi moderationem, iudicii integritatem, patriæ amorem, admodum charus; et summe semper adamatus fuit. Nobilitas etiam *Germanica*, et amplissimus Literatorum ordo, eum in actionibus quibuscunque solum ferè observabant: et in eum gravissimis et periculosis temporibus ingruentibus, tanquam ad certum portum, quo confugerent; tanquam lumen, à quo illustrarentur; tanquam sacram anchoram, qua quiete fruerentur, animum intendebant. Nec enim quenquam sine salutari consilio dimisit; neminem afflictum non est consolatus; adeo ut neminem quenquam ei infensum fuisse, auditum sit unquam: neminem etiam gravius odisse visus est ipse; nedum, ut unquam alicui mortalium ullo verbo detraxerit, inviderit, laceffiveritque; ut summa semper in eo vitæ integritas, incredibilis prudentia, indefessus labor, studium admirandum, isti tam sacro officio convenientissime responderint (*m.*).

Dum igitur eius operâ *Carolus* Imperator utitur; multis equidem laboribus res maximæ in universo

O 2

Impe-

(*l.*) PANTALEO *l. c.* ait, sed male, ut videtur: *Nostrum* primum anno 1550. *Pro - Cancellarium* fuisse declaratum. Confer ADAMI *Vitas Istorum. p. 34.*

(*m.*) Ita verbotenus PANTALEO *l. c.*

Imperio inciderunt per decennium totum. Agebatur annus 1548. quo celeberrima *Augustæ* Comititia à *Carolo V.* acta sunt. In his SELDIUS duo gravissima negotia administravit. *Primo* in id laboris & studii plurimum collocavit, ut Libellus seu Formula INTERIM in *Imperio* reciperetur & in usum deduceretur. Fusius hæc, præcipue quod ad Rempublicam *Augustanam* spectat, perscripta habes in *Pauli à STETTEN senioris Chronica Augustana* vernaculè scripta, *T. I. p. 421.* & in *Pauli à STETTEN junioris* Libro: *Lebensbeschreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend*, *T. II. p. 262* quos, si vis, confules. *Alterum*, in quo SELDIUS defudavit, negotium eò pertinuit, ut *Regimine tribunitio*, quod *Augustæ* per II. fere sæcula vixit, sublatò rerum summa maximè ad Optimates Patriasque Gentes transferretur. Etenim *Carolus* Imperator, *Tribubus* quod *Smalcadico* fæderi accessissent, iratus, tum ob hoc, tum ob alia plura, quæ præter ordinem gesta fuerant, Reformationem hanc plane necessariam esse censebat. Labores autem in ea à *Nostro* infumptos reique gestæ seriem accurate cognoscere quisquis avet, adeat mox allegatos *Paulos à STETTEN*, & *Davidem LANGENMANTELIIUM* in opere: *Historie des Regiments zu Augspurg*. Ego, brevitatem sectans, strictim hæc narrasse satis duco.

Nimirum eà apud *Carolum*, dum is Imperii habenas rexit. gratiâ SELDIUS valuit noster, ut Imperator ad constituendas orbis christiani rationes plurimum eum adhiberet; de rebus maximis consilia cum eo quam sæpissime conferret: labores in seram usque noctem cum eo partiretur; eumque in itineribus, quæ per late diffusa regna creberime obibat, secum usque duceret. Haud lon-

go post tempore, quam Comitata *Augustana* finem acceperant, *Noster* ad res *Camerae imperialis* recognoscendas à *Carolo* delegatus est; subin & mandatum accepit, ut unicum filium eius *Philippum*, ex *Hispania* venientem, per *Italiam* et *Germaniam* comitando, in *Belgium* deduceret, eam regionem in fidem ac clientelam recepturum: quod etiam pompâ solennissimâ factum. Tum id quoque in animo versabat *Carolus*, ut eundem filium suum Imperio *Germanico* præficeret. Quod qua ratione effectum dari posset, postquam deliberaverat *Cæsar*, negotii perficiendi cura SELDIO demandata est: cuius tamen industriæ eventus non respondit, Principibus *Germaniæ* fratrem *Cæsaris Ferdinandum*, qui jam *Rex Romanorum* renunciatus fuerat, filio *Cæsaris Philippo* præferentibus; quod huius duram ac severam, ut aliqui volunt, indolem averfarentur: illius contra in placido lenique ingenio multum spei reponerent (n).

Circa idem tempus SELDIUS in eo versatus est feliciori plane conatu, ut Duces *Wurtembergiæ*, *Ulricum* et *Christophorum* in ditionem paternam: Comitem autem *Montis - Belligradi* (*Montbelliard*, *Mümpelgard*) *Georgium* in *Cæsaris* gratiam reduceret.

Interfuit deinde *Noster* Comitibus Imperii *Augustæ* anno 1550. celebratis, una cum aliis à *Carolo* delegatus, ut inquirerent, utrum Libello INTERIM vigor suus debitaque observantia esset. Sed parum ista profuerunt; quandoquidem *Mauritius* Dux *Saxonix*, prius *Cæsari* fædere junctus, annò 1552. ex improvîso bellum in *Protestantium* gratiam moliens, facta in *Tyrolin* irruptione, *Cæsarem Oeniponte* morantem, & SELDIUM cum illo de dimittendo è custodia *Ioanne Friderico Saxonico* (*Huic*

O 3

vitæ

(n) PANTALEO, ADAMI, *Paulus à STETTEN junior*, ll. cc.

vitæ veniam *Carolus* fecerat) agentem in fuga salutem quærere coegit. Profugum & sollicitudinibus onustum Cæsarem SELDIUS, fidus per omnia comes, consiliis juvare non destitit, multusque in eo fuit, ut *Passaviensis Trahatio* conficeretur. Sic bello finito cum Cæsare *Augustum* venit, cæsareaque auctoritate *Regimen tribunitium*, a *Mauritio Saxone* rursus introductum, una cum *Hugone Comite de Monteforti* (*Montfort*) & *D. Hasio* condelegatis, altera intra parvum tempus vice abolevit. De Libello INTERIM nulla quæstio habita (o).

Triennio post acta denuo *Augustæ Comitia & Pax* (ut vocant) *Religionis* constituta anno 1555. in qua *Noster* partem non exiguam habuit, utut absens, & apud *Carolum*, qui post expeditionem bellicam contra *Gallorum* Regem infelici successu susceptam, in *Belgium* secesserat, manens. Ex eo tempore vix dum biennium abierat, cum rursus *Noster* ad publicum Imperii negotium adhibitus, & ad *Colloquium Religionis* anno 1557. *Wormatiæ* à *Carolo* Imperatore & *Ferdinando* Cæsare indictum (cum *Ferdinandus* eidem, utut vellet, interesse non posset) una cum *Iulio PFLUGIO* episcopo *Naumburgensi*, quâ Commissarius & Iudex, ire iussus est: ubi doctissimis quibusque, etiam adversæ partis, valde fuit acceptus; id quod ex *Carmine latino in discessum Seldii*, in *MELANCHTONIS Consiliis latinis*, T. II p. 314. extante, & fors ipsum *MELANCHIONEM* parentem habente luculenter patet. Dolendum de reliquo magnopere, etiam hoc *Colloquium*, pervicacia adversariorum optima quæque eludente, optato eventu caruisse (p).

Hæc

(o) *Paulus à STETTEN senior*, item *junior II. cc.*

(p) *PANTALEO & Paulus à STETTEN junior II. cc.*

Hæc inter Carolus V. publicorum negotiorum affici tædiō : fastidire regna, Imperium ; vitam quietam et curarum immunem anhelare. Eo fine *Belgium* et *Hispaniarum* regnum in filium *Philippum* transtulerat : negotia Imperii, absens ut plurimum, fratri *Ferdinando* tradiderat, permiseratque regenda. Restabat Imperium, cæfareæque potestas. Quare secunda vice per SELDIUM tentat, si *Philippum* filium in imperiale solium evehere posset ; qua in occasione et si *Noster* Imperii Ordinibus *Philippum*, cuius inter *Consiliarios* adscribi meruerat, longe alium, quàm vulgo habebatur, sive ex vero, sive nimio Cæsari obsequendi studio depinxisset, tamen negotium exitum minime habuit. Sic altero quoque conatu in irritum cadente *Carolus Principem Aurangix* (*Orange*) & *Nostrum* ad Electores, pro Imperii resignatione (ut consueto vocabulo utar) offerenda ablegavit. Ea res in Principum Germaniæ Conventu *Ratisbonensi* anno 1557. cæpta : in *Francofurtensi* sequentis anni 1558. peracta est.

Hac ratione *Carolus* augustarum curarum omnium mole levatus vitam privatam, quam ambiverat, tranquillè duxit. SELDIUS à *Procancellariatus* (Hunc *Ferdinandus*, fratri succedens, suo ad id temporis Cancellario, Doctori *Ionæ*, concediderat) dignitate, at illa paulo post resumenda : minime tamen auctoritate, quam per Germanicum Imperium sibi pepererat, excidit ; namque eo ipso anno 1558. cum *Ferdinandum* inter, & *Paulum IV.* de assumpto Imperio controversia haud levis orta esset, *Noster* scribendi contra Papam *Traſtatus politici* mandatum à *Ferdinando* accepit : de quo inferius pluribus dicetur. Imo mox sequenti anno 1559. ab eodem *Ferdinando*, qui Cancellarium suum, nominatum D. *Ionam*, morte sibi hoc anno raptum

amiserat, *Procancellariatum* denuo capeffere iuffus est. In quo munere ita *Ferdinando*, ut antea *Carolo*, se probavit: tantamque novi Cæsaris fiduciam dexteritate ac fide sua sibi paravit, ut maximis rursus negotiis adminiftrandis præfectus fuerit: ut quorum cauffæ in aula agitabantur, prosperum earundem exitum maxime SELDII patrocínio se confeuturos confiderent. Ea spe *Otho TRUCHSESIUS* Cardinalis & Epifcopus *Augustanus* e: g: *Noftro Jacobi MALESPINÆ, Aquilæ & Viani* Marchionis, oppidorum, quibus præerat, clientelam sibi confirmari à *Ferdinando* petentis negotium, *Epiftola* 1560. 10. Kal. Decembr. *Romæ* data, vehementer commendavit; uti habes in *Iul. POGIANI Epift. T. II. p. 161.*

Vixit *Noster* tum maxime in *Austria* & in aula, in qua iterum immensos labores exantlavit, in *secretum*, in *curiatum*, in *camerale*, in *ungaricum* confilium adhibitus: Imperatorem peregre, & ad Comitata *Imperii* proficifcentem ubique comitatus. Sic cum ipfo fuit, quando Senatus populusque *Augustanus*, annò 1559. homagium Cæsari dixerunt. Sic cum ipfo fuit, quando Comitata *Imperii Francofurti* anno 1562. celebravit: in quibus *Maximilianus*, filius eius, & electus & inauguratus est *Rex Romanorum*. Atque ex hoc ipfo negotio plurimum laudis *Noftro* debetur. Ipse namque arduo ifti operi in aulis Electorum, *Saxonici* præsertim, adjuvante D. KRAMMIO Legato eiusdem aulæ, initium: ipse eidem in folenni Legatione, *Dreſdæ* una cum ſupremo regni *Bohemie* Cancellario D. *Ioa-chimo de NEUHAUS* obita, progressum; ipse denique *Francofurti* (ut paulo ante dictum) finem, quem *Ferdinandus* in votis unice habuit, feliciffimum dedit, conſcripta (ut moris eſt) *Capitulatione*, quæ

Roma-

Romanorum Imperatoris ac Regis, deinde & Electorum Imperii suffragia cuncta tulit (q). Sic cum *Ferdinando* fuit, quando is *Oeniponte Ioann. Francisc.* COMMENDONUM, *Præsidum Tridentini Concilii* nomine Legatum, ad colloquium admittit, de quo vide *Iul. POGIANI Epist. T. III. p. 242.* ubi etiam observantiæ SELDII erga Sedem Romanam documenta, et quantopere is morum Reformationem optârît, percipies p. 242. 243. 245.

Iam vero et SELDIUS, etsi vir infra consistentem ætatem esset, non annis quidem, at laboribus senescens, vitæ pertæsus publicæ, ex illa orbis luce, in qua hætenus cum laude maxima versatus fuerat, sese in tranquillum subducere portum, sibi que vivere, animo destinârat. Quare multis precibus apud *Ferdinandum* Imperatorem contendit, ut à *Procancellariatus* officio decedendi sibi licentia daretur: quæ etiam ei, agente Principis gratiâ, ad diem 20. *Maii* anni 1563. definita fuit. At subin, aggravescens Cæsarîs negotiis detentus, in aula remansit usque ad finem mensis *Iunii* anni sequentis 1564. quo cum uxore (caruit enim Liberis) in *Bavariam*, ad arces suas, et libros, quos non uno in loco habuit plurimos, reversus est, ut paulatim sibi quietem, et litterarium, diu optatum, otium pararet. Ibi tum reliciens arcem *Neuhoven*, ab *Alberto Bavariæ* Duce sibi donatam, statuit in posterum *Lucubrationes*, quas eruditissimas reliquit, in eadem, et *Monachii* perpolire atque exornare.

Sed interea *Viennæ* obit *Ferdinandus* Imperator; qui, paucis diebus, ante mortem, eius præsentiam summo desiderio exoptârat. Hunc enim identidem ad se vocans, non aliter, quam *Pater Seld!* solitus fuit appellare: id quod et à *Maxi-*

O c milia-

(q) PANTALEO & *Paulus à STETTEN junior* U. cc.

miliano Cæsare, et *Alberto Bavariz* Duce (qui Principum erat in eum affectus) fertur factum. Verum SELDIUS tunc locorum intervallo non exiguo disjunctus, minime potuit accersiri.

Ocium ergo jam SELDIUS sperans, apud *Maximilianum II.* patri in imperio suffectum, qui denuo evocarat, sollicitate ivit se excusatum; sed per litteras admonitionibus *Philippi Hispaniarum* Regis et *Alberti Bavariz* Ducis, evictus, redit in *Austriam*: iterumque, non quidem ut Vice-Cancellarius, at tamen ut primorum Consiliariorum unus, gravissimis rebus Imperii et aliorum regnorum, fidelissimis consultationibus, instar certi oraculi, adhibetur (r). Eo tempore inter alia à *Maximiliano II.* cum *D. GUGLERO Norimbergensi*, & Cancellario *Landishutano* deputatus fuit, ut varias controversias Senatum patriæ urbis *Augustæ* inter, & *Otho-nem* Episcopum Capitulumque cathedralis Ecclesiæ exortas amica compositione finiret; quod negotium etsi haud successerit, tamen operam, à SELDIO in eo collocatam, 600. florenis aureis renumerandam Senatus censuit. (r).

Sic dum in aula consumit menses circiter sex; et jam plurima recte constituenda procurat; et in majori, quam unquam antea honore est; ut qui à tertio isto incredibiliter amaretur Imperatore; anno post Christi nativitatem *millesimo quingentesimo sexagesimo quinto*, die *vicecima sexta Maii*, cum esset extra urbem *Viennensem* in quoddam prædium ad *Maximilianum* Imperatorem evocatus, in reditu eodem die, infelici admodum fato, ex citatorum equorum cursu, cum ruituri currûs inevitabile periculum impenderet, prius deprompto ex manica

pre-

(r) PANTALEO l. c.

(s) *Pavlus à STETTEN senior* l. c.

precationum libello, animum ad Deum convertit, ac cum collega *Ioanne Henrico ZASIO*, magni ZASII filio, Cælareo *Vicecancellario*, è curru desiliit; et illis ad saxum quoddam temporibus, eadem adhuc hora expiravit. Mors eius tam inexpectata, tam luctuosa, quam plurimis hominibus summum attulit dolorem; longe maximum vero ipsi *Maximiliano* Augusto; qui se vitam *Nostri* (si fieri posset) facile ducentis florenorum millibus redempturum protestatus est, statimque eius caput ex convenienti materia plastice fundi præcepit, ut eius vera effigies in *Epitaphio* à se conficiendo posteritati servaretur: quod an factum sit postea, est, cur dubitem; cum *Epitaphium*, mox à me afferendum, abs hæredibus *Nostri* positum fuisse, apertis verbis moneamur. ZASIUS eodem curru vectus, periculose quidem et ipse cecidit, sed Dei beneficio servatus est, ut haberet Respublica, cuius successione SELDI, Viri optimi ac doctissimi, desiderium leniretur (t).

Corpus *Nostri* *Viennam* advectum, & ingenti confluentis populi multitudine, qualem in Principum exsequiis vix videas, stipatum in Ecclesia PP. *Ordinis Minorum* tumultò conditum fuit; quò etiam corpus uxoris eius, post trimestre maritum moriendo secutæ, illatum est, addita hac *Epigraphæ* (v).

D. O. M.

(ð) PANTALEO & ADAMI Tristem *Nostri* interitum paulo fusius describit *Paulus à STETTEN junior*, l. c. quem (si lubet) consules.

(v) Exhibet illud sæpius à me citatus Perillus *Paulus à STETTEN junior* l. c. abs *Michaele DENYS* sibi communicatum: qui idem clarissimus Auctor in Libro: *Wiens Buchdrucker - Geschichte*, p. 684. illud à *LOCHERO* in *Spec. Academ.* p. 432. transcriptum fuisse, testatur.

D. O. M.

GEORGIO SIGISMUNDO SELDIO

J. V. D.

IMPP. CAROLI V. ET FERDINANDI I.

VICE - CANCELLARIO :

MAXIMILIANI QUOQUE II.

ET PHILIPPI II. HISPANIARUM REGIS

CONSILIARIO INTIMO :

NON TAM SUORUM ,

QUAM OMNIUM FERE IMPERII PROCERUM

AC STATUUM LUCTU ,

FATO QUODAM HEU ! NIMIS ACERBO ,

REIPUBLICÆ NEGOTIIS

INTEMPESTIVE EREPTO :

NEC NON

URSULÆ RUDOLPHINÆ

MARITUM MOX MORIENDO SUBSECUTÆ

HÆRED. MOESTISS.

P. C.

Hic vitæ cursus, hi labores politici, hic exitus SELDII fuit, cuius encomia, à doctis illorum & subsequentiū temporum Viris relicta hoc loco quin attexam, temperare mihi nequeo, ut inde magnitudo *Nostri* ac dignitas clarius elucescat.

Ioannes CRATO, Archiater Cæsareus, in obitum *Nostri* sequentia cecinit :

Selde ! tuo casu cecidit Respublica ; tecum

Ne jaceat tumulo morte perempta , precor.

Simon SCHARDIUS (x) de *Nostro* ait : *Carolus V.* eum in honore ac pretio habitum ad gubernationis amplissimæ atque occupatissimæ summa & difficillima negotia abhibuit. Adhæc cum accessisset ætas grandior ; usus rerum atque exercitatio ; maturitas exculti, per-

poli-

(x) In *Script. Rer. Germ. T. IV. p. 42.* Editionis anni 1673.

politique iudicii; documenta industriæ, sollertiæ, sapientiæ, justitiæ, moderationis, integritatis, constantiæ, fidei, candoris, humanitatis; in eam venit apud Imperatorem Ferdinandum opinionem & admirationem, ut de SELDII consilio atque sententia ille in Imperio susceperit atque administrarit pleraque ex illis, quibus Germaniæ, post difficilia & longa bella, ex perturbatissimo rerum statu reddita est atque restituta salutaris tranquillitas. E rebus vero humanis Ferdinando erepto, non minori in existimatione atque auctoritate apud Maximilianum Imperatorem fuit. Vir Nestoreis annis & omnium bonorum prædicatione dignissimus. . . . Ioachimus CAMERARIUS in Orat. in Mauritium Elect. Saxon. testatur (y): fuisse in ipso vivente dignitatis amplitudinem; honorum splendorem; virtutis, sapientiæque præstantiam; fidem; gravitatem; integritatem; optimarum artium studium; antiquitatis omnis certam et enucleatam cognitionem; incorruptam probitatem. Hoc Viro ad difficultates illo tempore removendas, ad distracta reconcinanda, ad sanandas laborantes partes perquam feliciter usum esse adiutore & auctore Mauritium Ducem, atque ita usum esse, ut nihil ille prorsus emolumenti (quod scimus, a compluribus nequaquam negligi) privati esse publicis actionibus decerpendo sibi quæreret, sed ultro oblata præmia constantissime repudiaret. . . Idem CAMERARIUS etiam in Epistolis suis multoties honorifice de Nostro meminit. Henricus PANTALEO (z) & Melch. ADAMI (a) sequentibus laudes Seldii prædicarunt: Fuit homo erga omnes benignus; nullo modo ob ullam eruditionem aut divitias elatus; beneficus in agnoscendis officiis: unde bene meritis et non indig-

(y) V. MENCKENII *Script. Rer. Germ. T. II. p. 1345.*

(z) In *Prosopograph. T. III.*

(a) In *Vitis ICcorum*, p. 77.

dignis (*quippe Comitis sacro-palatini privilegii anno nativitatis Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto à Carolo V. ornatus*) insignia et arma regaleriter contulit : liberalis fuit etiam in excipiendis, libertà à Cæsaribus sibi aparatò mensù, viris nobilibus et doctis. Ipse quidem invitatus, ad neminem ferè (*nec principem, nec magnatem*) ausus fuit ideo venire, ne cum uni satisfaceret, reliqui idem à se postulare possent, atque ita convivationum nunquam esset finis. Fuit etiam admodum temperans in viçù, quum quidem multis temporibus prandia vel intermiserit omnino, vel parciora sumpserit, ut ad res per totum diem expediendas tanto esset alacrior, expeditiorque ; pro se tamen crudiora salsamenta mire amavit. Musica vehementer, et reliquis Geometricis, et dimetiendi atque delineandi quoque studiis delectabatur. Testudine autem pulsanda longe celeberrimus artifex, et principibus miraculo fuit. Salibus inter suos et optimates, sibi familiares, cum summa gravitate et modestia, ex incredibili antiquitatis et Historiarum peritia, affluebat. Unde etiam solus Cæsaris Ferdinandi animum, tristibus curis sæpius defatigatum, gravi et dulci sua oratione, appositis exemplis ornata, ceu præsentissimo remedio subinde recreavit.

Fuit etiam gratus et carus Carolo V. Augusto, quod ex hac narratiuncula in proclivi cuius est colligere. In postremo ex Germania discessu Carolus, Vlissingæ ventos navigationi idoneos expectans, in multam usque noctem cum SELDIO, fratris tunc Ferdinandi Legato, est collocutus. Postea SELDIO abitum petente, cum ex familia, in atrio partim dilapsa, partim dormiente, nullus appareret, Carolus ipse lychnum SELDIO, quamvis recusanti, prætulit : eique, per gradus deducto : Hoc tibi monumentum, inquit,

inquit, Cæsaris illius Caroli habeto, SELDI! tot exercitibus et excubiis quondam stipati, quem nunc solum, et à familia etiam desertum vides, et cui tu tot annos serviisti, is nunc tibi etiam serviit, et lumen prætulit. *Dixit etiam in postremis illis congressibus SELDIO*: se, in hac mutatione suæ fortunæ, agnoscere potentiam Dei; cui nequaquam velit repugnare. Hæc de *Nostro* PANTALEO & ADAMI.

Similiter *Nostri* memoriam non sine laude egere THUANUS in *Historiar. T. I.* ZWINGERUS in *Theatro Vitæ humanæ. Io. Christoph WENDLERUS* in *Dissert. II. de Merit. Reipubl. August. in Rem litter. p. 48.* KOENIGIUS in *Biblioth. vet. & nov. FABRICIUS* in *Historie der Gelehrtheit, T. III. p. 271.* GUNDLING in *Historie der Gelehrtheit p. 4657.* In *Nostri* laudes fusc etiam excurret PEUCERUS, de quo inferius sermo redibit, et *Andr. RAPICIUS ICUS. Tergesinus* in *Nuncupatoria ad Orationem de Morte Caroli V.* At hos omnes brevitatis gratiâ præteriens, duo duntaxat testimonia subdere fatis habeo: quorum primum *Conspectus Historiæ Universitatis Viennensis* offert, ubi legere est: *Tantum Aulicorum. tum Civium Viennensium animis de Nostro existimationem insedisse, ut majorem SELDIO Virum intra sua se moenia nullum habuisse professi sint.* Alterum idque multo magnificentissimum, exhibet *Georg. EDERUS* in *Catalogo Rectorum & illustrium Virorum Archigymnasii Viennensis, p. 18.* ubi, postquam quendam *Ioannem Seld, Decretorum Doctorem*, commemoravit, adjicit: *Eius nominis, & familiæ fortassis eiusdem, Mæcenatem & Patronum hæc Academia maximum nata est Georg. Sigism. SELD I. C. Augustanum. . . Virum pietate gravem, & prudentia insignem, summum atque celeberrimum totius Germaniæ Oratorem.* Et

Et quoniam tum in hoc EDERI testimonio, tum superius in *Vita* sæpius memoria doctrinæ, qua *Noster* multis antecelluit, acta est; jam tempus et occasio ipsa, illius litteraria merita pandere, vel potius repetere, jubent. Vidimus de *studiis* illius, sineque honorifico, quo illa consummavit Vidimus de varia, et magna *eruditione*, deque *linguarum* cognitione plurima, quam sibi is peperit Vidimus de *affectu* erga doctos: de *studio* in litteras, et Academiam Viennensem (Atque utinam EDERUS enucleatius nobis tradidisset, quibûs modis *Noster* de Archigymnasio *Viennensi* bene meritus fuerit!) Vidimus de numerosa eius *Bibliotheca*, deque erudita *Dissertatione de Legatis* (b. quam adhuc in studiis agens elucubravit. Quare ad reliqua eius *Scripta* tum edita, tum inedita enarranda progredi lubet.

Scriptit SELDIUS permulta, et doctissimè scripsit: parabatque, otium a laboribus publicis nactus (ut audivimus) eadem emittère in lucem: sed in negotiorum politicorum pelagus denuo retrusus, mox etiam repentina morte vivis ereptus, fratri suo HEGENMILLERO, quem hæredem habuit, reliquit publicanda. Ast hunc quoque negotiorum multitudo, & Consilarii cæsarei munus *singulari follertia & integritatis laude gestum*: postea etiam *Procancellariatûs* sub *Rudolpho II.* dignitas præpedivère, ne fraterni ingenii foetus foras educeret. Attamen hoc ipsum non obstitit, quin nonnulla prodirent in vulgus, reliquis amissis, & in hancusque diem deperditis. Opera autem *Nostri* hæc sunt.

I. *Consilia*, eaque *multa & gravissima* teste PANTALEONE l. c. Horum aliqua, typis excusa, circum-

(b) An hæc postea typis prodierit, dicere non habeo: certe illis dignam fuisse, persuadet ZUICHERUS supra alatum præconium.

cumferri monet *Paulus h. STETTEN junior*, l. c. p. 279. improbans eorundem stylum; quod plurima latino sermone exponant: et *Auctororum* citationibus scateant.

II. *Repertorium Juris*, quod quasi prorsus novum confecit.

III. *Genealogia maximarum Familiarum*, quas, utpote ex professo etiam sui temporis historias illustrans, in amplissimis quasi arboribus exstruxit.

IV. *Res gestæ D. Caroli V.* quas acri judicio & perfectissimo ordine collegit.

V. *De Origine et Successione Regnorum & Familiarum*; de quo Opere PANTALEO l. c. sic ait: *In omnibus denique iis studiis de Origine ac Successione Regnorum atque Familiarum & alia quædam rariora, a nemine facile animadversa, ipse prudentissime observavit. Hoc Opus Noster, qua erat doctis gratificandi promptitudine, Casparo PEUCERO, Chronicon Carionis, a Philippo Melanchtone suppleti, ulterius continuare meditati humanissime communicavit, utendumque permisit: quod officii genus PEUCERUS, non sine multis Nostri encomiis, gratus agnovit.*

VI. *Bedenken an Kayser Ferdinand, wie des Pabsts Pauli IV. unbilligem Anmassen wider Ihre Kayserliche Majestät Wahl durch die Churfürsten des heiligen Römischen Reichs, ohne des Pabsts Consens geschehen, zu begegnen sey?* in 4^o. Frankfurt. 1612. Ita testatur Mart. LIPENIUS in *Biblioth. philosoph.* pag. 349. & C. G. JOECHER in *Gelehrten - Lexicon*, in eo hallucinati, quod pro Paulo IV. ponant Pium V. Recusum fuit anno 1618. teste ADAMI l. c. pag. 77. Confer STRUVII *Biblioth. jurid. c. II. §. 21.* Conscriptit hanc *Lucubrationem SELDIUS* annò 1558. jubente *Ferdinando*
Bibl. Augst. Alph. V. P *dina-*

dinando Imperatore. Conscribendæ autem causam dedit Translatio Imperii Romani in Ferdinandum à Carolo V. incio Pontifice Paulo IV. facta, atque ab hoc ipsum à Papa improbata: de quo videri poterit CIACONIUS in Vitis Pontificum, T. III. p. 812. 816. Excutitur autem in ista Lucubratione quæstio: Utrum Cæsar, abdicaturus se Imperii onere, id in manus Romani Pontificis resignare debeat? De reliquo errat Christian. Gottlieb. JOECHER in Gelehrten-Lexicon, PAPADOPOLIUS, & cum ipsis, quotquot ex hoc unico Scripto plura, diversis proposita titulis, faciunt. Id satis docent verba Melchior. ADAMI dicentis: Anno 1618. prodit SELDII Discursus, ex MSSis. collatis, de Cæsaris & Romani Pontificis potestate, in quo controversia discutitur: An Cæsar, abdicaturus se imperii onere &c. &c.

SEMBLER (*Rupertus*)

Rupertus SEMBLER patriâ Salisburgensis fuit, prænobilibus ibi anno MDCCIX. die 8. Maii parentibus prognatus. Augustæ vero in monasterio SS. Udalrici & Afræ juvenis Regulam S. Benedicti est amplexus.

Posito sacræ vitæ tyrocinio, inter domesticos parietes studiis theologicis unius anni spatio vacavit: quò elapsò, quod ingenii magnitudine & diligentiae laude semper excelluerit, à Superioribus patriam urbem revisere, & in communi illo doctrinarum domicilio ac publico litterarum Musæo theologicum curriculum emetiri iussus est: quò, absolutò, cum in *Theologia* juxta ac *Jurisprudentia sacra* examinatus, et approbatus fuisset, facer-

facerdotii dehinc honorem capeffivit anno MDC-
CXXXII.

E patria domum revectus haud diu delituit ;
etenim *Salisburgum* revocatus , ibi primo litte-
ras humaniores , fubin etiam Philofophiam do-
cuit , *Artium liberalium & Philofophiæ Doctör* :
creatisque pluribus eius Facultatis Magiftris do-
mum redux , varia monafterii fui officia follertif-
fime adminiftravit.

At patria eum denuo recipere expetiit , re-
ceptumque cathedræ theologicæ præfecit , *SS.*
Theologiæ Doctorem. In eo munere fümma cum
laude plurium annorum fpatio verfatüs , etiam
ad Sodales parthenios facro de fuggellu dixit ,
inter *Confiliarios ecclefiasticos RR^{mi}*. Principis et
Archiepifcopi pro more adlectus.

Tandem *Augufam* reverfus , cum *Petrus Ma-*
ria Popp , Vir de difciplina monaftica & re lit-
teraria optime meritus , inferioris *Liezhemii* (Præ-
pofitura eft ad cænobium *San - Udalricanum* at-
tinens) Præpofitus vitam cum morte commutâl-
fet , in illa dignitate *Nofter* defuncto fucceffit ,
fimul *Status provincialis Ducatûs Palatino - Neo-*
burgici factus.

Tenuit autem Præpofituram annis duodecim ,
fructisque variis ædificiis demum ex hydrope
in Domino deceffit anno MDCCLXXVIII. æ-
tatis LXIX. Profeflionis XLIX. facerdotii XLVI.
relictis fequentibus ingenii & doctrinæ fuæ mo-
nimentis :

I. *Differtationes doctiffimæ de SS. Trinitatis My-*
fterio. in 4^{to}. *Salisburgi*. 1760. in quibus epitomen
fecit *fapientiæ alienæ* , *fummam fuæ*.

II. *Officia Sodalis Mariani in allocutionibus par-*
theniis declarata. in 8^o. *Ibidem*. 1704. Libellus eft

eleganti stylo conscriptus, miræ pietatis sensus referens.

Hæc ex *Litteris encyclicis mortualibus*, quas *Rotulam* vocare solent. Confer, si lubet, G. C. HAMBERGER *Gelehrtes Teutschland. Edit. III. p. 1116.*

TREFLERUS (*Wolfgangus*)

Patriâ *Augustanus*, monasterii *S. Iacobi in Monte specioso*, *Moguntia*, Professor, claruit sub initia *XVI. sæculi*, fuitque membrum *Societatis litterariæ Rhenanæ*, quam ea ætate *Ioannes Camerarius DALBURGIUS Philippi Palatini* primum Cancellarius, tum *Wormatiensis* Episcopus, litterarum & litteratorum fautor cum primis laudandus, atque scientiarum in Germania restitutor (a) acerrimus, condiderat: cuiusque Director primarius doctissimus Abbas TRITHEMIUS extitit (b).

Vel hoc unum, haud spernenda doctrinæ subsidia *Nostro* adfuisse, satis (puto) comprobatur: tum etiam apertiùs amicitia confirmatur, quam *Nostro* mox laudatus TRITHEMIUS habuit: & quam data ad eundem anno 1514. *Epistola* (c) luculenter prodidit.

Annò 1507. in monasterio *Spanheimensi* nonnullas ob causas commorans, obedientia cogente, rerum temporalium substantiam eius cænobii, jam novo Abbate creato, pro viribus complurium dierum

(a) Vide BURCKARDUM de linguæ latinæ in Germania *Fatis. T. II. p. 263.*

(b) Ita testatur *Historia litteraria Ord. S. Bened. T. I. p. 183.* ubi reliqua eius Sodalitatis membra, ex Ordine *S. Benedicti* adiecta, nominantur.

(c) V TRITHEMI *Opp. spiritual. à BUSÆO Moguntia edita, p. 977.*

rum spatio administravit : ita tamen , ut , quibus & rerum temporalium cura vacare licuit , horis rei litterariæ pro more suo sollicite insudaret : studiaque , quibus sub sole dulcius nihil iudicavit , aut nullo aut modico tempore seponeret . Quam ob rem rei familiaris gubernatione interdium perfundus , tenebris se caelo inducentibus ad litteras conversus : oblataque ultro *Bibliothecæ Spanheimensis* iustrandæ , probèque excutiendæ occasione suavissima tam strenue usus est ; ut noctes integras in illo Musarum sacrario transigeret infomnis , a latinis ad græcos , a græcis ad hebraicos codices discurrens .

Ea diligentia factum , ut *Chronicon Christiani episcopi* , quod , sub nomine *Conradi episcopi* , successu temporis HELVICHIVS , & post eum G. C. IOANNIS in *Rer. Moguntin. T. II. p. 92.* typis vulgavere , a se forte fortuna repertum , & descriptum *Wolfgango de SOLMS* , Ecclesiæ *Moguntinensis* Canonico , muneri miserit ; quò gratum de beneficiis tum abs dicto *Wolfgango* , tum eiusdem patruo , itidem *Moguntinensis* Ecclesiæ Canonico & Custode , *Ruperto de SOLMS* , tunc jam satis suis perfuncto , acceptis animum testaretur (d).

Complures annos Bibliothecarium egit sui Asceterii , eumque industriosissimum , uti dicenda comprobabunt . Obiit anno 1521. die 16. Julii (e).

Litteraria *Nostri* monumenta , typis edita , quæ repperi , sequentia sunt :

1. *Epistola prolixa de Bibliotheca Spanheimensi ad Wolfgangum de SOLMS &c. data anno 1508.*

12.

(d) Confule *Historiam litterariam Ord. S. Bened. T. I. p. 492. seqq.*

(e) Vide *Georg. Christ. IOANNIS Rer. Mogunt. T. II. p. 827.*

12. *Kalend. Augusti*. In hac *Noster* multis TRITHEMIUM laudat, & ab impacto *magiæ* crimine vindicat: tum plura lectu minime injucunda de Bibliotheca *Spanheimensi* affert: denique in laudes *Wolfgangi*, & *Ruperti de Solms* &c. excurrit. *Epistolam* istam prius ineditam, integram refert *Historia litteraria Ord. S. Bened. T. I. p. 492*.

II. *Epistola prolixa, minimeque inerudita de Bibliotheca sui monasterii ad S. Iacobum in Monte specioso, Moguntiaë, data ad Iacobum, eius cœnobii Abbatem, anno 1513. 6. Calend. Iulij*. Debemus hanc *Epistolam* RR^{no}. D. Stephano Alexandro WURDTWEINIO Episcopo *Heliopolensi*, Suffraganeo *Wormatiensi*, qui eam integram *Bibliothecæ suæ Moguntinaë, p. 14*. inseruit. In illa auctor nonnullorum monachorum in excolendis litteris desidiâ carpit, fataque Bibliothecæ historica narratione exponit.

Inedita à Nostro extant, teste *Historia litteraria Ord. S. Benedicti a Magnoaldo ZIEGELBAUER & Oliverio LEGIPONTIO* vulgata, *Tom. I. p. 490. 612. & Tom. IV. p. 511. 527. 556. 570*.

III. *Index Bibliothecæ S. Iacobi, Moguntiaë. Exactissimum* esse, monet citata *Historia Ord. S. Bened.* et adhuc in ea Bibliotheca servari.

IV. *Libri II. de Scriptoribus ecclesiasticis*. Hos TRITHEMIO usui fuisse, monuit *Oliverius LEGIPONTIUS* in *Vita TREFLERI*, à se memoriæ *Wolfgangi* nostri, doctissimi optimique Viri, æternandæ ergò conscriptæ, sed non vulgatæ.

V. *Apologia Ioannis Trithemii*.

VI. *Liber I. de Viris illustribus sui monasterii*.

VII. *Chronicon Monasterii sui*.

VIII. *Orationes funebres IV. in laudem RR^{mi}. D. Hermanni Abbatis S. Iacobi &c.*


Hæc

Hæc de *Wolfgango* TREFLERO, qui certe *Augustanus* est. Exstitit autem, in *Ordine S. Benedicti*, non multo post ea tempora, alius quoque TREFLERUS, *Florianus* nomine, *Benedictoburani* in *Bavaria* superiore monasterii alumnus, haud infimæ doctrinæ Vir: quem *Augustanum* fuisse suspicor; quod ætas, nomenque gentilitium belle adeo conveniant. Verùm cum patria eius in albo Monachorum eius asceterii omiffa sit, atque ob id ipsum nihil certi statui queat, haud diutius in eius laudibus hærendum mihi, sed Lectores, de illo plura scire cupientes, ad MEICHELBECKII *Chronicon Benedictoburanum*, P. I. p. 249. præcipue verò ad *Historiam litterariam Ord. S. Benedicti*. Tom. I. p. 612. Tom. III. p. 353. & Tom. IV. p. 150. 637. 710. remittendos esse iudico.



Errata notabiliora.

| Pag. | Lin. | Lege. |
|------|------|-----------------|
| 12. | 8. | <i>D. XXVI.</i> |
| 16. | 18. | GUALTHERI |
| — | 32. | <i>Salthen.</i> |
| 18. | 4. | BETULIUS |
| 30. | 20. | p. 183 |
| — | 21. | 1513 |
| 44. | 31. | <i>Sessione</i> |
| 70. | 25. | viginti |
| — | 30. | currit |
| 78. | 5. | BARTHOLINUS |
| 80. | 33. | <i>alfit</i> |
| 102. | 5. | innuimus |
| 116. | 30. | <i>Nummos</i> |
| 160. | 36. | collaudat |









—

